PHILOSOPHIÆ INSTITUTIONES

A

F. JOSEPHO ARCHANGELO

A FRACTA MAJORI

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

EX PROBATIS AUCTORIBUS SELECTÆ


ATQUE

IN RELIGIOSAE PRAESERTIM JUVENTUTIS
COMMODUM EDITAE

TOMUS I.

LOGICAM
CONTINENS

EDITIO SECUNDA.



NEAPOLI MDCCCXXX.
Ex Typographia Jo: Rusconi
Via S. Annae Lombardorum N° 37.

Superiorum Facultate.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

T. Luc. Lib. III.

LECTORI

RELIGIOSO

AUCTOR S. P. D.

Q*uæ duo, Lector amice, homines ad agendum maximopere movent, et vel segniores ipsos ad ardua quæque capessenda non raro extimulant, ea profecto fuerunt, quae ad has qualescumque sint Philosophiae Institutiones, subsecivis in horis, ex probatorum Auctorum Libris sive editis, sive mss. collectas, publici juris faciendas me impulerunt*, necessitas *nempe, atque*

utilitas. *Cum namque ex receptis Minoritici Ordinis nostri legibus, et eorum, qui nos in studiorum moderamine gloriose praecesserunt exemplo, Religiosi studentes, singulis hebdomadis, teneantur privatas coram fratribus in scholis, atque publicas quotannis in Ecclesia, syllogistica methodo, sustinere disputationes; cumque methodus isthaec, multis abhinc annis a Gymnasiis ita sit exulare coacta, ut vix ejus umbra apud Ecclesiasticos quosdam appareat, et ista quidem:*

Par levibus ventis, volucrique simillima somno, *in studiorum nostrorum restauratione, post tot vicissitudines arrepta, oportuisset certe, aut omni studio syllogisticam methodum in pristinum restituere, illamque prae aliis evehere, aut Statuta omnia nostra circa studiorum methodum pessumdare, et novis aliis procusis, in Recentiorum turbam penitus adsciscì, atque aliorum more, non quo eundum est, sed ire quo itur. Ita profecto. At primum, ingenue fateor, tantum animi in me non sensi, ut exequutioni mandarem; tum quia sicut et alii, ego sum, cui.*

Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum; (*Ovid.* 3. *de Ponto*), *tum quia methodus illa, nostris hisce temporibus, ita hominum gustui insulsa videtur, ut contemptui habeatur; idemque prorsus sit scholasticam methodum nominare, ac sibilis proscindi. Secundum vero, ultra quam quod mihi metipsi non erat omnino probatum, a superioribus, hercle! non fuisset concessum. Ecquis enim superiorum concedere voluisset, studiorum methodum tot Statutis in Capitulis generalibus diligenter constabilitam, atque religiose, non sine incredibili emolumento servatam, vel minimum immutari,*

*ne dicam, penitus e medio tolli, atque aboleri? Studiorum inquam methodus, non quidem barbarica, et sophistica, sed dialectica et syllogistica ad regulas optimae Logicae exacta, qua studiosi utentes, florentissima evaserunt ingenia, omnis generis doctrina ad miraculum exculta, decus, ornamentum, atque munimen Catholicae Ecclesiae, totiusque societatis! methodus, qua nulla efficacior est experta ad falsa dogmata discooperianda, et radicitus convellenda; qua nempe in tenebris errorum sedentes, in admirabile veritatis, et fidei lumen vocati fuerunt, Haereticorum machinationes omnino eversae, et Haeretici ipsi eo redacti, ut vel porsus devicti, in veritatis, atque Religionis obsequium fasces, securesque demiserint, vel opprobriis cooperti, nec quid responderent habentes, manibus ori impositis, confusi abscesserint! Quid ergo hoc in casu faciendum erat? Ut omnis vitilitigandi amputaretur occasio, ambo illa invicem adversantia, mutuo conciliare necessarium existimavi, idque methodo synthetica dialectica, plana, et clara, ut sic tam majoribus nostris, quam Recentioribus obsequerer, et istorum aeque ac illorum maledicta effugerem. Atque en hujus Operis edendae neces*sitas. *De ejus autem* utilitate, *quid dicam? Neminem profecto latet, ad scientias comparandas, inter alia, plurimum prodesse studiorum uniformitatem, sub unius, diligenti studio, delecti Magistri disciplina; quam imo et necessariam esse, non infirmis de causis docuit noster P. Vincentius Fasanellius* (*Lib. 1. Cap. 7. §. 62.*) Artis inquirendae veritatis, *dicens:* Necesse est, ut tirones in efformando sibi uniformi, politiorique stylo paullatim assuescant. Id autem quantum facillimum est

sub unius, ejusdemque Praeceptoris disciplina; tantumdem difficillimum, ubi Praeceptores saepe permutantur. Ut enim quisque peculiarem scribendi, dicendique stylum habet; ita alius alium perturbet, necesse est. Tandem cum Praeceptores varii in varias saepe, diversasque abeant opiniones, ac unusquisque suam propugnare, aliorumque refellere adnitatur; in magnam, ob id tirones, tot Praeceptores permutando, idearum incident confusionem. *Jam vero uniformitatem hujusmodi harum Institutionum editione perbelle obtineri, quis non videt? His namque tum Magistri seu Lectores, cum studentes seu discipuli, in scholis utentes, eandem Doctrinam, et eodem stylo traditam ubique habebunt, quare confusio exulabit, et studiorum perturbatio; contra perspicuitas regnabit, atque disciplinarum rectus ordo, quibus ignorantia excutitur, scientiarum fulgor coruscat. Hinc inter juvenes studentes conferentiae, seu collationes mutuae de rebus studio perceptis faciliores, felicioresque reddentur ad ipsorum exercenda ingenia, et memoriam excolendam. Atque tandem, ne plura persequar, et Lectores, et studentes, onere excribendi levati, plus temporis habebunt, illi ut dilucidius lectiones explicent, isti ut illas longiores, et magis digestas ediscant. Et en illa duo exposita, quae ad has Philosophia Institutiones edendas me induxerunt. Faxit Deus, ut haec succedant sub manus. Interim quisquis es:* utere his (*si placent*), vel quaere meliora (*Isocrates Orat.* 2.)

I N

PHILOSOPHIAE INSTITUTIONES

PROLEGOMENA



PHILOSOPHIAE NOMEN.

§. 1. PHILOSOPHIA, secundum nomen a greco derivatum, *nihil est aliud*, ait Cicero (Lib. 2. de off.), *si recte interpetrari volumus, quam studium sapientiae:* cui consentit magnus S. Doctor Augustinus (Lib. 1. de ord. cap. xi. dicens: *Hoc graecum verbum, quod Philosophia nominatur, latine amor sapientiae dicitur.*

§. 2. *Coroll.* Quare Philosophi nomen sibi merito vindicant, qui sapientiam amant, atque in ejus studium solicite incumbunt.

§. 3. *Schol. 1.* Olim vero Philosophia absolute sapientia dicebatur, et Philosophi *Sophi*, hoc est *sapientes* fastose vocabantur. Unde quidam inter veteres Graecos celebriores Philosophi, scilicet Thales Milesius, Solon Salaminius, Chilon Lacedemonius, Pittacus Mytilenaeus, Bias Prianaeus, Cleobulus Lyndius, et Periander Corinthius, etiamnum Sapientes nominantur. Attamen Pythagoras Samius a Leonte Phliasiorum Principe interrogatus, uti post Tullium scribit supracitatus S. Augustinus (Lib. VIII. de Civ. Dei ad Marcel. Cap. 2.), » quid profiteretur, Philosophum se esse respondit, idest » studiosum vel amatorem sapientiae: quoniam sapien- » tem profiteri, arrogantissimum videbatur. A quo id.

» nomen exortum, sequitur idem S. Doctor (Lib. XIV. » de Trin. Cap. II.) ita deinceps posteris placuit, ut » quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus do- » ctrina quisque vel sibi, vel aliis videretur excellere, » nonnisi Philosophus vocaretur ». Atque haec de Philosophia quoad nomen.

§. 4. *Schol.* 2. In se autem inspecta Philosophia, dupliciter considerari potest, *objective* nempe, et *subjective.* Objective quidem, si quoad objectum circa quod occupatur, inspiciatur; objectum namque alicujus facultatis, sive scientiae, est res illa circa quam scientia occupatur. Subjective autem si in homine spectetur, in quo reperitur. Subjectum namque scientiae illud dicitur, in quo scientia ipsa residet.

§. 5. *Def.* 1. *Objective* itaque ***inspecta Philosophia*** » » est, ait Tullius (Lib. 1. Off. Cap. 43.) *rerum di-* » *vinarum, et humanarum, caussarumque, quibus eae* » *res continentur scientia.*

§. 6. *Animad.* Per res Divinas hic intelliguntur Deus, ejus attributa, effectus, et opera sive spiritualia, sive corporea, sive existentia, sive possibilia, quarum cognitio humanae rationis capacitatem, et confinia non praetergreditur. Per res vero humanas intelliguntur homines, et eorum actiones, sive liberae sint, sive necessariae.

§. 7. *Coroll.* Ex quo patet Philosophiae objectum tam latum esse, quam quod maxime. Et sane quis est, qui nesciat, innumeras prorsus esse hujusmodi res sive divinas, sive humanas, quae Philosophiae objectum constituunt? Hinc non immerito inquit Cicero (Reth. Vet. Lib. 1.). *Si oportet velle sapere, dare operam Philosophiae convenit.* Atque hac sane motus consideratione Holmannus, Philosophiam *objective* inspectam definit per *doctrinam vel scientiam, qua id quod homini, in quocumque statu spectato, ad felicitatem suam promovendam, vel sciendum, vel agendum est, distincte traditur.* Etenim cum felicitas naturalis, quae in praesenti vita haberi potest, non consistat, nisi quantum fieri potest, in malorum diminutione, atque verorum bonorum copia; nec non in moderato, ac recto usu rerum ad vitam concessarum; cumque haec assequi nequeat,

sine Dei rerum omnium conditori, datori, atque conservatori, sui ipsius, rerumque extra se positarum cognitione atque scientia, profecto, Philosophia (§. 5.), quae talis cognitio, et scientia est, optime dici potest, quod distincte doceat quid sciendum, quidve faciendum sit homini ad suam promovendam felicitatem.

§. *8*. *Def.* *2.* Porro scientia, propric dicta, dupliciter itidem considerari potest, *objective* scilicet, atque *subjective*. *Objective* inspecta *est cognitio certa*, *et evidens de re aliqua.*

§. *9*. *Def.* *3*. *Subjective* autem *est habitus*, *sive promptitudo*, *et facilitas in homine*, *asserta sua demonstrandi.*

§. *10*. *Schol.* Hic habitus vel *adquisitus* est, vel *infusus*, adquisitus quidem si repetitis actibus comparetur, infusus vero si a Deo, qui scientiarum Dominus est, concedatur.

§. *11*. *Def.* *4*. *Demonstratio est actio*, *qua veritates aliae ex aliis*, *per legitimam argumentorum seriem*, *deducuntur*. Legitima vero argumentorum series habetur, cum argumenta ita sunt inter se connexa, ut unum ab altero dependeat, ab eoque fluat, veluti affectus a caussa sua.

§. *12* *Def.* *5*. Facultas illa, qua homo nexum intelligit, qui est inter veritates, ut alias deducat, *ratio* appellatur. *Est* ergo *hominis ratio*, *facultas nexum rerum*, *et veritatum distincte perspiciendi.*

§. *13*. *Def.* *6*. *Philosophia subjective accepta est habitus*, *res divinas*, *et humanas*, *ipsarumque rationes sufficientes*, *et caussas investigandi*, *et cognoscendi*. Et qui tali habitu gaudet *Philosophus* appellatur.

§. *14*. *Coroll.* Philosophus ergo debet scientia proprie dicta pollere (§. 8.); adeoque habitu asserta sua demonstrandi: nec non recta ratione uti; nexumque inter res, et res, veritates, et veritates distincte perspicere (§. 11.), ut asserta sua certis, inconcussisque principiis superstruere valeat.

§. *15*. *Schol.* Quoniam vero Philosophiae subjectum est homo. *Homo* enim, ait Tullius (Off. Lib. 1. Cap IV.) *quod rationis est particeps*, *per quam consequentia*

cernit, caussas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit, atque adnectit futuras, etc., nonnulla hic de homine, ad dicendorum intelligentiam delibare, non abs re existimatur.

§. *16 Def. 7.* ***Homo*** itaque ***est animal rationale***, anima scilicet rationali, et corpore constans. Quatenus ***animal*** convenit cum ***brutis***, quatenus ***rationalis*** superior est illis, et paullo minus ab Angelis, substantiis nempe mere spiritualibus, et completis, minoratus.

§ *17. Def.* 8. ***Anima hominis est principium illud, per quod homo cogitat, judicat, ratiocinatur, reflectit, bonum vult, recordatur, atque sui, suarumque cogitationum, et operationum est conscius.***

§. *18. Schol.* Animae hominis, ex communi Philosophorum sententia, tres insunt ***facultates***, vel ***potentiae; Intellectus*** scilicet, ***voluntas***, et ***memoria***.

§. *19. Def. 9.* ***Intellectus est ea animae facultas, qua homo res percipit, de ipsis judicat, atque ratiocinatur, nec non ipsas recto, et congruo ordine disponit.***

§. *20. Def. 10.* ***Voluntas est ea animae facultas, qua homo bonum vult, et malum aversatur; sive illa, qua proposita ab intellectu objecta amplectitur, aut respuit.***

§. *21. Def. 11.* ***Memoria est ea animae facultas, qua res, alias cogitatas, cogitat cum advertentia veteris cogitationis.***

§. *22. Schol.* Praeter has facultates, tres etiam vires, vulgo animae tribuuntur; nempe ***sensatio, intellectio***, et ***imaginatio. Sensatio***, seu ***vis sentiendi*** illa est animae vis, qua res corporeas attingimus, sive ea obecta percipimus, quae sensus nostros afficere possunt. ***Intellectio***, sive ***vis intellectiva*** est facultas illa, qua incorporea objecta cogitamus, quae scilicet a quacumque materiae concretione sejuncta sunt. ***Imaginatio*** tandem, seu ***vis imaginativa***, illa facultas est animae, qua res licet incorporeas, sub corporea tamen imagine nobis exhibemus.

Porro his facultatibus, atque viribus suis homo uti-

tur, ut Philosophiam sibi comparet. Atque haec breviter de anima.

§. 23 *Def.* 12. *Corpus humanum est compositum organicum, ut ab anima nationali informetur, regatur, eique veluti instrumentum, in illius operationibus inserviat, destinatum; opus mirabile, pluribus partibus constans, tali tamque stupendo ordine, harmonia, et pulchritudine dispositis, ut nihil in eo non sit, quod Dei creatoris ipsius potentiam, sapientiam, atque bonitatem non ostendat.* Unde et *divinum miraculum* fuit a Platone vocatum.

§. 24. *Schol.* Corpus humanum quinque sensibus gaudet, quibus anima, dum ipsi copulatur, ad res corporeas dignoscendas utitur; scilicet *visus*, *auditus*, *gustus*, *odoratus*, et *tactus*; hisque totidem organa sensoria, sive instrumenta respondent; videlicet *oculi* pro visu; *aures* pro auditu; *palatus* pro gustu; *nares* pro odoratu; aliae demum omnes corporis partes, manus praesertim, pro tactu.

§. 25. *Animad.* Quia insuper Philosophia de Deo, rebusque divinis agit (§. 5.); atque per res divinas Dei attributa, et opera intelliguntur, de his etiam paucula hic innuere juvabit. Itaque.

§. 26. *Def.* 13. *Dei nomine intelligimus Ens necessarium, et a se, omnium aliorum entium primum principium, et caussa.*

§. 27. *Animad.* Dei attributa intelliguntur perfectiones simpliciter simplices, absolute ac necessario de Deo praedicabiles per modum formae adjacentis. (Vid. Tom. 11. Synops. pag. 26. §. 19.); tales sunt *Sanctitas, justitia, bonitas, sapientia, omnipotentia, immensitas*. Per Dei autem opera intelliguntur res omnes ab ipso creatae, et ab ipso pendentes: puta *Coelum* cum suis omnibus ornamentis, Sole, Luna, Planetis Stellis etc. *Terra* cum omnibus, quae in ea sunt; montibus, mare, fluviis, plantis, herbis, et animalibus, inter quae potissimum est homo. Haec namque omnia ipse Deus *dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt*; nec nisi conservante Deo permanent; ut fusius, suo loco, videbitur.

Philosophiae Divisio.

§. 28. Atque ex his clare potet, quam merito Philosophi fere omnes Philosophiam in quatuor partes dividant; in *Logicam* nempe, *Metaphysicam*, *Physicam*, atque *Ethicam*, sive *Moralem universalem*. Cum enim Philosophia de rebus divinis, humanisque agat (§. 5.); quia res hujusmodi aliae sunt materiales, aliae spirituales, de his agit Metaphysica, de illis Physica. Cumque ipsa non solum quid sciendum sit doceat, sed quid agendum quoque (§. 7.), de hoc pertractat Ethica. Quia tandem Philosophia subjective inspecta est habitus res divinas et humanas, ipsarumque rationes sufficientes, et caussas investigandi, atque cognoscendi (§. 8.), id quod Logica praestat, en reliqua ejus pars, quae quoniam aliis partibus inservit, illisque facem praefert, primo loco pertractabitur.

PRIMA PHILOSOPHIÆ PARS

NEMPE

LOGICA

§. 29. *Def.* 1. Logica a voce graeca *logos*, latine idem est ac *sermo*, vel *discursus*. Sermo autem hic duplex distinguitur, *interior* nempe, et *exterior*. Interior nihil est aliud, quam ipsa humanae mentis *cogitatio*, quae quidem *spirituum loquela* non incongrue appellatur; exterior vero est *sermo*, qui ore promitur. Unde Logica secundum nomen, *ars cogitandi*, *atque sermocinandi* solet appellari. Vulgo tamen generatim a Philosophis definitur per *eam Philosophiae partem, quae mentem humanam dirigit in veritate inquirenda*. Hinc *et Ars dirigendae mentis; Ars inquirendae veritatis, Organum, et Instrumentum sciendi, Philosophia rationis etc.* nuncupatur.

§. 30. *Schol.* Quia vero experientia edocemur, solius naturalis rationis adminiculo, et nulla arte, vel praeceptis instructi, homines plerique cogitant, judicant, ratiocinantur, argumenta conficiunt; necnon cogitata sua, judicia, ratiocinia, et argumenta etiam disponunt ut verum assequantur, aliisque patefaciant, hinc duplex Logica distinguitur, *naturalis* una, *artificialis* altera.

§. 31. *Def.* 2. *Logica naturalis est illud lumen vultus dei, rationis nempe, ab ipso Deo auctore Naturae super nos obsignatum, quo et recte cogitare possumus, et signis ad cogitata nostra aliis manifestanda institutis, congrue uti.*

§. 32. *Schol.* Hac Logica usi fuerunt homines antediluviani, atque etiam postdiluviani usque ad Zenonem Eleatensem, qui, ut ait Aristoteles apud Laertium (Lib. IX.), primus Logicae praecepta, ex variis libris excerpta, in ordinatum scientiae corpus redegit, et

cum Athenas venisset, Socrati legendum praebuit, maximo illius oblectamento, qui et opus probavit, et eo usus est. Hac etiamnum utuntur, qui disciplinis atque scientis animum non applicuerunt, et quidem aliqui tanto successu, ut quoties audieris sermocinantes, Philosophos eruditos diceres, nisi scires, ipsos legere, atque scribere nequidem didicisse.

§. 33. *Def.* 3. *Logica artificialis est facultas vel disciplina, qua regulae traduntur, quibus humana mens in securius cognoscenda, atque aliis tradenda veritate dirigitur.*

§. 34. *Coroll.* 1. Logica itaque artificialis in Logicae naturalis subsidium adinventa est, et recte dici potest illius distincta, et adaequata explicatio; adeoque praestantior est, et quam maxime excolenda; Ars namque, ut optime observat Cicero (Lib. IV. de finibus Cap. 4.) *est dux certior quam natura.* Et sane facilius erat homini errare, sola natura duce, in veritate inquirenda, quam natura etiam arte suffulta. Ratio enim naturalis est quidem bonum haud dubium, et semen quoddam in mentis fundo satum, at si sibimetipsi relinquatur, aut nullum dabit fructum, aut lolium pro frumento dabit; maxime cum in agro mentis non desint quoque tribuli, et spinae; hoc est vitia innumera, vel ex mentis ipsius naturali imbecillitate, vel ex ipso vitae usu contracta.

§. 35. *Coroll.* 2. Quaecumque igitur in Logicae laudem a veteribus aeque, ac Recentioribus dicta sunt, de Logica artificiali, non vero naturali debent intelligi. De illa inquam, scribit Cicero (*De claris Orat. Cap.* 4). *Haec docet rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera, et falsa judicentur, et quae quibus positis, sint, quaenam sint consequentia.*

§. 36. *Schol.* Illud autem est hic ingenue fatendum, nihil, aut valde parum utilitatis a Logica artificiali expectari posse, ubi desit naturalis; si nempe natura fuerit avara, neque mentem dederit ad scientias veluti natam. Unde Horatius (de arte Poetica.

...... Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice

Et sane, Logica artificialis in subsidium naturalis inventa est (§. 28.) Si ergo vel deest naturalis, vel admodum debilis est, inutilis erit omnis labor in ea adipiscenda, atque excolenda: eodem ferme pacto ac agricola, qui post quantamlibet culturam agro impensam, magnam fructus spem concipere non potest, nisi et bona sit agri indoles, et semen itidem aptum.

Logicae objectum.

§. 37. Cum logica artificialis tota occupetur in tradendis regulis, quibus instructa humana mens in veritatis inquisitione tutius, ac facilius dirigatur (§. 29.), liquido sequitur, varias mentis operationes dirigendas, esse *objectum* ejus *materiale*; *formale* vero, easdem operationes, quatenus dirigibiles sunt.

§. 38. *Coroll.* Cumque nulla sit scientia vel doctrina in qua tutius, et facilius adipiscenda, mens humana certe observationibus, atque praeceptis non indigeat, clare patet, Logicam artificialem ad omnes ferme scientias esse, si non absolute necessariam, saltem utilissimam; adeoque ejus objectum latissime patere; ut propterea non immerito post Tullium (In Bruto) dicta sit a S. Augustino (Lib. 11. de Ord.) *Disciplina disciplinarum: scientiarumque judex, atque formatrix.*

§. 39. *Def. 4.* Porro *veritas*, ad cujus faciliorem consequutionem Logica artificialis manuducit, nihil est aliud, generice sumpta, quam *convenientia rei alicujus cum regula aliqua*; et triplex est, nempe *entis*: et *metaphysica*, *signi et moralis*; *cogitationis et logica.*

§. 40. *Def. 5. Veritas metaphysica est convenientia rei cujuslibet cum sua essentia, vel cum ideis Dei archetypsis*; atque huic veritati nulla opponitur *falsitas.* Nulla enim res dari potest, quae essentiam sibi convenientem non habeat, aut quae ideis Dei exemplaribus non respondeat, quarum instar facta sunt omnia. *Veritas moralis est consensio verborum, aut quorumvis*

externorum signorum cum sententiis animi: cui opponitur *falsiloquium*.

§. 41. *Def. 6.* Tandem *veritas logica est convenientia cogitationum nostrarum cum rebus*.

§. 42. *Schol.* Porro res cognitae vel considerantur prout sunt in seipsis, vel prout relucent in ideis nostris. Convenientia cogitationum nostrarum cum ideis, circa quas cogitando versamur, dicitur *veritas formalis*, cui, ex adverso nulla *falsitas formalis* respondere potest, cum nequeant ideae unquam cogitationibus dissentire, quarum sunt proximum objectum. Convenientia vero cogitationum nostrarum cum rebus extra nos positis, est *veritas objectiva*; et contra *objectiva falsitas* existit, cum aliter de rebus cogitamus, atque sunt in seipsis. Nos hic veritatem logicam spectamus, deque ea sola, et quidem *objectiva*, ubivis obtinenda solliciti esse debemus.

Logicae divisio.

§. 43. Quoniam igitur Logicae artificialis materiale objectum sunt variae mentis operationes dirigendae (§. 37.), quae quatuor vulgo recensentur; scilicet *1. Simplex perceptio*, *2. Judicium*, *3. Ratiocinium*, et *4. Methodus*; cumque nulla doctrina vel facultas, ut optimis praeceptis, atque observationibus plena, optatam utilitatem afferre possit, nisi usu, et exercitatione ad praxim deducatur; hinc duplicem Logicam distinguimus *Theoreticam*, et *Practicam*. Et Theoreticam quidem in quatuor partes dividemus; quarum prima erit de Simplici rerum apprehensione, atque ideis; secunda de Judicio; tertia de Ratiocinio; quarta tandem de Methodo (*a*). Practicam vero quibusdam Exercitatio-

(a) Methodum non esse partem peculiarem Logicae contendunt nonnulli, cum in aliis tribus contineatur: Nos illam, quartam Logicae theoreticae partem ponimus. Nec immerito. Nam non secus ac aliae Logicae partes, peculiares suos Canones habet methodus ad mentem in veritatis inquisitione dirigendam.

nibus absolvemus, in quibus Dialectica Methodo, nonnullas Quaestiones ad aliquas enunciatas mentis operationes pertinentes exagitando, atque resolvendo, in praxim reducemus, quod in Theoretica Logica docuimus. Sit ergo.

LOGICÆ THEORETICÆ

PARS I.

De simplici rerum perceptione, atque ideis.

§. 45. *Def.* 1. *Simplex rei perceptio*, vel apprehensio *est actio illa*, *qua mens nude et simpliciter objectum aliquod contemplatur*, *quin de illo affirmet quidquam*, *vel neget.* Hinc si quis *pomum*, ex. gr. contemplatur, et in sola ipsius cogitatione se sistit, nihil sollicitus de ipsius pulchritudine, colore, sapore, magnitudine, et caet., haec pomi contemplatio dicetur simplex ipsius apprehensio. Id quod autem menti intelligenti proxime fit praesens, quodque semper rei a mente distinctae, et quidem aut existentis, aut possibilis imago quaedam est, dicitur *Idea*, et alio nomine, *conceptus*, *species*, *notio*, *et imago*. Sic notio, vel imago pomi, quae menti haeret illius, qui illud contemplatur, dum illud contemplatur, pomi idea dicitur. Nos ideam hic cum simplici perceptione confundimus, et pro eodem usurpamus. Sit ne autem simplex perceptio revera idem ac idea est, adhuc lis in judicio pendet; et meo videri, haud facile ad finem ducetur. Satius propterea erit hoc inter ignota referre (a).

(a) *Vid. Clariss.* Anton. Genuen Art. Logicae. *Lib.* II. *Cap.* 1.

§. 46. *Schol*. Quoniam vero idea est contemplatio rei a mente facta (§. 45.); res autem aliae sunt spirituales, aliae corporeae (§. 5.), hinc a diversitate rerum, quas mens contemplatur, nomen diversum sortitur idea. Et quidem si res, quae a mente contemplatur sit spirituale; *Deus* ex. g. *anima humana* etc. haec idea dicetur *intellectio*: si autem corporea sit, atque matelis, *ferrum* nempe, *lapis* etc. dicetur *sensatio*; si vero res sit quidem spiritualis, sed sub corporea imagine repraesentetur, *imaginatio* appellabitur. Si autem mens ad rem, quae contemplatur reflectat; *reflexio* vel *conscientia*; si tandem rem alias perceptam percipiat, *recordatio* dicetur, vel *reminiscentia*.

Idearum divisio.

§. 47. Et quia insuper in omni rei contemplatione, quae fit a mente, tria spectari possunt; 1. nempe a quo ducat originem; 2. quid sit, quod contemplandum offeratur; 3. quo modo contempletur; hinc communi calculo, in triplici classe statuuntur ideae, et de illis pertractatur in Scholis; Relate scilicet ad originem, ad objecta, et ad modum.

CAPUT I.

De ideis quoad originem inspectis.

§. 48. *Animad*. Non heic rem habere volumus cum Platonicis, Cartesianis, eorumque asseclis, ideas innatas admittentibus; sed saniores Philosophos sequentes, experientia facem praeferente, omnes ideas ab una anima originem ducere tenemus, licet non omnes ab eadem vi animae, sed quaedam ab animae vi sensiente, aliae a vi intelligente, aliae tandem a vi imaginativa oriri dicimus. Et quidem, quae a vi sensiente ortum habent, dicuntur *adventitiae*; quae a vi intelligente *intelligibiles*; quae tandem a vi imaginativa *phantasticae* appellantur.

§. 49. *Def. 1. Idea adventitiae sunt illae, quae ope sensuum nobis adveniunt;* cujusmodi sunt ideae omnes rerum corporearum, veluti *ligni, lapidis, aquae etc.*

§. 50. *Def. 2. Ideae intelligibiles dicuntur illae, in quibus nec corpora repraesentantur, nec aliae res instar corporum;* tales sunt ideae *virtutis, vitii, bonitatis, veritatis etc.*

§. 51. *Def. 3. Ideae tandem phantasticae, seu factitiae, vel chimericae sunt formae quaedam, et imagines rerum corporearum absentium, vel ideae mere arbitrariae, quas nos ipsi effingimus,* vel 1. ampliando; vel 2. imminuendo; vel 3. componendo; vel 4. transferendo, aut accomodando. Et quidem ampliando, ut cum ideam hominis vulgaris staturae ampliando, ideam gigantis effingimus, vertice sydera tangentis, vel eamdem ideam imminuendo, ideam *pigmei* efformamus; vel ideas *montis*, et *auri* componendo, ideam *montis aurei* confingimus; vel tandem transferendo, et accomodando, ut cum idea Urbis visae ad Urbem non visam transfertur, et per similitudinem, ac proportionem accomodatur: sicque Urbem non visam, visae instar, mens sibi fingit. Ita ille:

Urbem, quam dicunt (Romam) *Moelibee putavi*
Stultus ego, huic similem nostrae.

§. 52. *Schol.* Atque haec de ideis, quoad originem inspectis, breviter dicta sufficiant. Solummodo ne in illis peccetur, sequentes servare oportet.

CANONES.

I. *De rebus materialibus et corporeis, nonnisi ex ideis, quae per sensus habentur judicato.* Sensus namque ad hoc dati sunt, ut objecta materialia, quae sunt extra mentem, menti repraesentent. Nam ut optime ajebat Galilaeus: Naturalis Philosophia in permagno Universi libro, qui oculis nostris semper patet, scripta est. Is autem liber quomodo legi poterit, nisi sensibus externis?

II. *Ideas mere intelligibiles in humana mente reperiri, uti certissimum habeto.* Neque enim putandum est, nihil prorsus, nisi sub aliqua corporea imagine nobis

repraesentari posse, quod et multis veteribus placuit, unde errores putidissimi exorti sunt. Et sane undenam Materialistae in eam abjerunt sententiam, nihil esse in Mundo praeter corpora, aut si dantur spiritus, ipsos corpoream quamdam formam imitari? Undenam Sadducaeorum, aliorumque opinio, animas nostras, et Daemones subtilissimo corpore circumdari? Undenam Antropomorphitarum ineptissima haeresis, Deum ipsum humana forma praeditum esse? Ex eo certe, quod nihil concipi posse putabant, quod sub corporea imagine non repraesentaretur. Quid insultius? Nonne concipimus, et quidem clare, *dolorem, voluptatem; nos vi cogitandi praeditos*? Nonne intelligimus *veritatem, honestatem, justitiam etc.*? Quaenam, quaeso, in his ideis, aliisve similibus, species corporea occurrit? Nulla certe.

III. *Ideis phantasticis, atque factitiis ne fidito.* Quis enim est tam hebes, qui nesciat quantorum errorum phantasia, fons sit, atque scaturigo?

CAPUT II.

De ideis quoad objecta inspectis.

§. 53. *Animad.* Per idearum objectum intelligitur omne id, quod menti per ideas exhibetur, sive sit existens, sive possibile, sive substantia, sive accidens. Existens dicitur, quod a statu possibilitatis jam transivit ad esse. Possibile autem id omne dicitur, quod licet actu non existat, potest tamen existere. Substantia est quidquid existit, vel potest existere per se, estque primum subjectum eorum, quae rei insunt. Accidens vero quidquid substantiae jungitur, et potest ab ea separari, quin aliquid detrimenti ipsa patiatur. Objectum idearum non est semper a seipsis distinctum, sed tum solum, cum ideae nostrae, ea quae sunt extra mentem, repraesentant. Cum vero repraesentant, quae fiunt ac sunt in mente, vel ea quae nullibi existunt, suntque mere possibilia, tunc idea non repraesentat objectum a seipsa distinctum, sed idea et objectum idem sunt. Ita ex. gr. cum dolorem sentio, non ideam

doloris percipio, sed dolorem ipsum. Quod si improprie ideam doloris dicere velimus, haec doloris idea erit dolor ipse. Insuper si pictor, ex. gr., imaginem ad libitum effingeret, quae scilicet nullum ex hominibus, qui extitere, aut existunt repraesentaret, sed hominem possibilem, ea imago nullum haberet objectum a seipsa, diversum.

§. 54. *Schol.* 1. Quae ad hanc classem spectant ideae, sunt 1. *singulares*, *particulares*, et *universales*; 2. *simplices*, atque *compositae*; 3. *absolutae*, et *relativae*; 4. *abstractae*, et *concretae*; 5. *reales*, et *chimericae*. Ad quarum pleniorem intelligentiam, praemittendum, quidquid existit dici *individuum*. Individuum vero appellari quod est omnimode determinatum, hoc est quod omnibus his circumstantiis, proprietatibus, et characteribus est praeditum, ut sit tale, et non potius aliud. Ita *Cajus* ex. gr. *Titius* etc. : dicuntur individua, quia in unoquoque eorum talia inveniuntur, ut *Cajus* sit *Cajus*, et non *Titius*.

§. 55. *Schol.* 2. Quia vero, ut percipienti patet, in individuis quaedam inveniuntur, in quibus ipsa inter se conveniunt, illarum proprietatum complexus dicitur *species*. Ita quoniam tam in Cajo, quam in Titio inveniuntur *animalitas*, et *rationalitas*, quarum caussa Cajus convenit cum Titio, haec proprietatum unio *speciem* constituit, quae *humana vocatur*.

§. 56. *Schol.* 3. Et quoniam insuper in speciebus ipsis aliquae proprietates conspiciuntur, in quibus ipsae inter se se cohaerent, harum proprietatum unio, aliam ideam constituit, quae *genus* appellatur. Ita *hominem* et *brutum* contemplando, agnosco tam in bruto, quam in homine *animalitatem*, haec porro proprietas, qua fit, ut brutus conveniat cum homine, dicitur *genus*.

§. 57. *Coroll.* Species itaque in individuo continetur; quippe ab individuo profluit, et quia in individuo, praeter speciem, alia relinquuntur (§. 55.), hinc plus est in individuo, quam est in specie. Et quia insuper *genus* oritur ex specie, atque ex individuo, relictis aliis determinationibus tam in specie, quam in individuo; hinc plus est in specie, quam in genere; et consequen-

tur, quo idea magis extenditur, minus complectitur, et e contra; propterea tribui nequit speciei quod convenit individuo, nec generi quod convenit speciei.

§. 58 *Animad.* Ea differre dicuntur quorum unum non est aliud; quia ergo praeter complexum illarum proprietatum, quibus individua conveniunt, adest et complexus determinationum, quibus inter se se discrepant, harum determinationum complexus dicitur *differentia numerica*; et proinde sicuti species definiri potest per *individuorum similitudinem*, ita et differentia numerica definiri potest per *individuorum dissimilitudinem.* Et quia insuper, praeter complexum illarum determinationum, quibus species inter se conveniunt, adest et alius complexus determinationum, quibus differunt, hic complexus, non immerito *differentia specifica* vocatur; et propterea sicuti genus definiri potest per *specierum similitudinem*, ita et differentia specifica *specierum dissimilitudo* definitur.

§. 59. *Def. 1. Idea itaque singularis est illa, qua menti exhibetur individuum contemplandum;* talis est idea *Petri* ex. gr., *Pauli* etc.

§. 60. *Def. 2. Idea particularis est illa, quae menti exhibet quidem individuum, at non ita determinatum, ut nihil habeat commune cum aliis.* Sic idea *Regis*, quae convenire potest Regi Neapolis, Hispaniarum, Gallorum etc.

§. 61. *Def. 3. Idea tandem Universalis est illa, quae exhibet proprietates rebus existentibus communes:* Ita idea *hominis*, quae *Sempronio. Caio etc.* convenit.

§. 62. *Coroll.* Hinc ideae specierum, et generum dicuntur universales; sicuti etiam tales sunt differentiarum ideae.

§. 63. *Schol.* Ad quinque classes ideas universales revocat Porphirius, quae vulgo *universalia*, sive *praedicabilia* vocari consueverunt. Suntque *Genus, Species; Differentia, Proprium, atque Accidens.* Genus autem quintuplex est, scilicet *remotum*, et *proximum*, *supremum*, *medium*, et *infimum*. Genus remotum est illud, quod per aliud genus sub se contentum spe-

ciem attingit; proximum vero quod immediate speciem attingit. Sic *vivens* est genus remotum, quia vivere ad homines, et belluas refertur; *animal* vero est genus proximum; quia homo, et brutum proxime sunt sub genere animalis. Genus supremum est illud, quod nullum genus supra se habet; Uti *Ens*; Medium, quod tam supra, quam infra genus habet, ut *substantia*; infimum denique, quod nullum aliud genus sub se habet, sed proxime speciei adhaeret, ut *animal*, quod statim subsequitur species.

§. 64. Etiam species triplex distinguitur; estque *suprema*, *media*, et *infirma*. Species suprema est quae supremo generi (§. 46.) proxima est, ut *substantia*; media quae sub genere medio continetur; infima tandem, alias *atoma*, et specialissima, quae nullam sub se aliam habet speciem. Itaque eadem idea habere potest rationem speciei, et generis: speciei si referatur ad genus superius; generis vero; si comparetur cum specie inferiori. Excipe, genus supremum, quod speciei rationem habere nequit, et speciem infimam, cui generis ratio non competit. De differentia actum est §. 58.

§. 65. Proprium est illud, quod licet primario rei essentiam non constituat, ab ea tamen necessario proficiscitur, et ab ea separari nequit. Et quadruplex est; vel enim 1. convenit soli speciei, sed non omni, ut *esse medicum*; vel 2. omni, et non soli, ut *aures oculosque habere*, vel 3. omni, soli, sed non semper, ut *loqui, ambulare, senescere etc.*; vel 4. tandem omni, soli, et semper, ut esse *risibile*; et hoc modo quartum universale constituit. Atque haec de ideis universalibus. De accidente, jam diximus §. 53.

§. 66. *Def. 4. Ideae concretae illae dicuntur, quae subjectum exhibent simul cum formis*; tales sunt ideae *corporis*, *picturae* in pariete, vel in tela.

§. 67. *Def. 5. Ideae abstractae sunt illae, quae vel formam exhibent sine subjecto, vel aliquam objecti proprietatem veluti ab illo separatam, licet separata revera non sit.* Abstrahere enim tunc dicimur, cum de aliqua re congitantes, non omnia quae in re sunt spectamus, sed aliquid tantum, omissis aliis.

§. 68. *Coroll.* Quare omnes ideae universales sunt abstractae, abstractione namque efformantur (§. 56. et seq.).

§. 69. *Def.* 6. *Ideae simplices dicuntur illae, in quibus nullas partes, vel quasi partes distinguere cogitando possumus*; tales sunt ideae *entis*, *coloris*, *odoris etc.*

§. 70. *Def.* 7. *Compositae vero sunt illae, quarum objecta ex pluribus partibus, vel quasi partibus coalescunt;* tales sunt ideae *hominis*, *corporis humani* etc. Atque ad has referi possunt ideae, quas dicunt *associatas;* quae nempe, licet in seipsis separatae sint, simul tamen menti offeruntur; cujusmodi sunt omnes ideae relativae, quarum una excitata, excitatur et altera.

§. 71. *Schol.* Ideae compositae, et associatae duplicis sunt generis; *naturales* scilicet, et *arbitrariae.* Naturales sunt illae, quarum compositio est naturalis, quae scilicet, aut sensu, aut ratiocinio apparet; ut propterea revera copulata existant, quae per ipsas ideas repraesentantur: tales sunt ideae *Dei*, *corporis humani*; illarumque omnium rerum, quae vel sensibus, vel necessaria, ratiocinatione cognoscuntur. Compositae autem, et associatae arbitrariae sunt illae, quarum connexio fit vel phantasia, vel educatione; tales sunt Pictorum, et Poetarum ideae; item quamplures Philosophorum hypotheses, atque systemata, quae si parum inspexeris, aliud non sunt, nisi quaedam arbitrariae combinationes, atque associationes, quibus illi Naturae phaenomena explanare conati sunt.

§. 72. *Def.* 8. Ideae absolutae sunt illae, quae nullam important relationem cum aliis; cujusmodi sunt ideae omnes *substantiarum*. Ideae vero relativae vocantur illae, quarum unius consideratio alterius considerationem includit, uti sunt omnes ideae modorum. Item *Patris Filii*, *Domini*, *servi etc.*

§. 73. *Schol.* Ideae reales duplicis sunt generis; scilicet *reales realitate existentiae*, et reales *realitate possibilitatis.* Ideae reales realitate existentiae dicuntur illae, quarum objecta extra mentem existunt, ipsisque

respondent, quales sunt omnes ideae adventitiae (§. 49.). Reales vero realitate possibilitatis sunt illae, quarum objecta, licet non existant, possibilia sunt qualia concipiuntur; talis esset idea *Mundi hocce perfectioris.*

§. 74. *Def.* 9. *Ideae chimericae realibus* opponuntur. Et quidem quae realibus, realitate existentiae, adversantur sunt illae, quibus objecta extra mentem non respondent, velut idea *Centauri*; quae vero realibus realitate possibilitatis opponuntur, sunt illae, quarum objecta sunt impossibilia, etsi velut possibilia concipiantur; talis esset idea *Dei Malefici Manichaeorum*, *materiae aeternae* etc.

§. 75. *Schol.* Quae de Ideis ad objecta relatis exposita sunt, tironi Philosopho sufficere possunt. Verum ut his recte uti noscat, sequentes praescribimus.

CANONES.

I. *Inter ideas, et ipsarum objecta distinctionem facito.* Neque enim existimandum est, ea quae in ideis rerum externarum relucent, eodem modo rebus ipsis inesse, quo in ideis repraesentantur; neque credendum, ideas nostras, ita rebus ipsis esse similes, quemadmodum externae hominis figurae pictura est similis.

II. *Ex ideis universalibus et abstractis, de objectis, rebusque ipsis ne judicato.* Nam ideis universalibus et abstractis objecta sui generis in natura respondere non possunt. Abstractio namque est opus mentis (§. 67.). Nulla igitur idea abstracta realis est. Cogito, ex. gr. *humanitatem* a subjecto abstractam: cogito *animal* in genere; sed haec nihil sunt, praeter puras ideas. Quidquid in natura est, singulare est, omnisque qualitas subjecto inhaeret, nec potest ab ea divelli.

III. *Eas ideas tamquam reales habeto, quae a natura sunt. Iis animum imbuendum curato; atque ex iis judicato.* Natura enim bona est, non fallit. Curandum est tantum, ut ideae, quas a natura veluti accepimus, immutatae in nobis perseverent; cavendumque, ne quidquid addamus, vel detrahamus. *Dolorem*

ex g. sentio : haec idea a natura est, realis propterea; quod vero dolor haereat pedi, brachio, alia corporis parte, hoc de meo addo; id in idea doloris, quem sentio, non relucet. Dolor enim, qui est animae affectio, nihil habet commune cum pede, etc.

IV. *Inter ideas relativas, et absolutas probe distinguito; neque illas pro istis accipito.* Quidquid enim in natura existit, absolutum est; relativa in ideis tantum existunt; siquidem mentis est unam rem ad aliam referre. Aliunde facillimum est, nisi cauti simus, accipere relativa pro absolutis. Revera quam multi sunt, qui ideas *doctrinae*, *bonitatis*, *pulchritudinis*, *opulentiae dulcedinis etc.* spectant ut absolutas? Interim relativae sunt, continent enim relationem ad loca, ad tempora, personas, mores, circumstantias. Ita (ut in proverbio est): *monoculi in terra coecorum* perspicacissimi habentur, qui alibi stupidi reputantur. Vestes, quae in aliqua Regione praestantes, et optimae reputantur, in aliis vel ridiculae, vel scandalosae dicuntur. Quae forma Sinensibus pulcherrima est, nobis est turpissima. Albae vestes a Japponiis in luctu adhibentur, quae nobis sunt potius letitiae signa. Apud Orientales inurbanum censetur si quis detecto capite, viro honorando se sistat; verum apud nos contra se habet. Denique, ne in longum abeam, multi sunt qui pauperes, et miseri reputantur, licet divitiis affluant, si lucupletioribus, et nobilioribus comparentur. Unde verissimum illud Senecae: *Nemo miser nisi comparatus.* Verum quis poterit inire numerum idearum relativarum, quae tamen facile pro absolutis accipiuntur? Id generatim dici potest, quantitatem omnem; nimirum quidquid gradus habet augmenti, aut diminutionis, relationem continere. Nihil proinde esse *absolute magnum*, *vel parvum*; *altum* vel *humile*; *longum*, aut *breve*; *grave* vel *leve*; *velox* aut *tardum*; Omnia haec, hisque similia dicuntur per relationem ad mensuram quamdam, quae non est eadem in omnibus. Hinc error eorum, qui minutiora animalcula a providentia Numinis excludunt: dedecet, inquiunt, Divinam majestatem parva isthaec curare, non attendentes, *parva* a nobis dici, quia co-

gnoscimus *magna* ; at respectu Dei , nihil esse *magnum* , adeoque nihil *parvum*.

V. *Ea qua fieri potest diligentia observato, num idearum compositio, vel associatio sit naturalis, vel arbitraria, ne ideas chimericas pro realibus accipias, et vicissim.* Nam cum idearum compositio est naturalis, tunc ideae reales erunt ; at si talis combinatio est arbitraria , ideae profecto erunt chimericae. Tunc autem idearum compositio , vel associatio naturalis dicenda est, quando ab ipsis rebus in natura existentibus in mente gignitur vel via sensus , vel necessariae ratiocinationis. Erit vero arbitraria, si vel nostro , vel aliorum arbitrio fiat.

CAPUT III.

De ideis ratione modi consideratis.

§. 76. *Animad.* Ideae ratione modi , vel repraesentationis inspectae aliae dicuntur *clarae*, aliae *obscurae* ; aliae *distinctae* , aliae *confusae* ; aliae *adaequatae* , *inadaequatae* aliae.

§. 77. *Def.* 1. *Idea clara est illa, quae ita menti objectum repraesentat, ut si illud denuo occurrat, cognoscatur, et ab aliis distinguatur :* sic idea *solis* clarissima est , quoties enim menti occurrit Sol , cognoscitur, et a reliquis astris , atque planetis distinguitur.

§. 78. *Def.* 2. *Idea obscura est illa, quae non ita menti exhibet objectum, ut quotiescumque occurrat, mens illud cognoscat, et ab aliis distinguat.* Talis est idea *Saturni*, vel *Jovis* planetae, respectu hominis idiotae, qui nescit planetas illos a stellis fixis distinguere.

§. 79. *Def.* 3. *Idea distincta illa dicitur, quae clare exhibet notas, et proprietates objecti, ob quas constituitur, et ab alia quacumque re distinguitur.*

§. 80. *Def.* 4. *Confusa* vero *si has notas non exhibeat.* Ita *hominis idea* est distincta ; non enim simpliciter agnosco hominem , et a rebus aliis distinguo ,

sed insuper in eo proprietates, et characteres, *animalitatem* scilicet, et *rationalitatem* agnosco, quibus ab aliis distinguitur. Idea vero *coloris rubri*, ex gr. confusa est; etenim licet ipsum ab aliis coloribus distinguo, characteres tamen, et notas assignare nequeo, quibus ipsum ab aliis discerno.

§. 81. Animad. Idea distincta potest esse *completa*, et *incompleta*. Erit completa, si rei, cujus ideam habemus omnes novimus characteres, ad eam in quolibet statu cognoscendam sufficientes, uti est *idea hominis* (§. 80.); incompleta vero si aliquos tantum, eosque insufficientes novimus; talis esset idea *hominis*, quomodo a Platone definitur; scilicet *Animal* bipes, *implume*.

§. 82. Def. 5. Idea adaequata est illa, quae distincte exhibet notas, et proprietates characteristicas objecti, quod percipitur; inadaequata vero, quae tantum confuse. Itaque si hominis proprietates rursus evolvas, sciasve quid sit anima, quid corpus, quaenam utriusque natura, quae ipsius partes, quaenam illius facultates, de homine ideam adaequatam habebis. Si vero in solis characteribus hominis te sistas, nec ulterius progrediaris, ideam, quam de homine habes, erit inadaequata.

§. 83. Schol. De ideis quoad modum inspectis, nihil ulterius addendum esse putamus; tantum pro utili earum usu, sequentes adjungimus.

CANONES.

I. *Curato, ut de rebus claram, atque distinctam cognitionem semper adquiras.* Clarae namque, atque distinctae ideae ad veritatem ducunt; obscurae, et confusae ab ea longissime repellunt. Si ergo obscuras tantum, confusasque acquirimus ideas, quomodo a falsis judiciis, erroribusque cavere poterimus?

II. *Praecipitantiam* itaque *fugito*; *atque necessariam attentionem, tempus, et diligentiam ad res considerandas adhibeto.* Nihil enim facilius est ei, qui praecipitanter, vel animo distracto quidquam percipit, quam errare;

vera pro falsis accipere, et e contra. Atque hinc veritas elucet illius proloquii: *Anima sedens sapientior fit.* Memoria proinde tenendum Platonis effatum (*in Tim*:): *Satius est bene agere aliquid exiguum, quam multa perfunctorie*; scilicet sine attentione, atque diligentia. Apage hinc et taedium.

III. Quae *clare, et distincte in re noveris*; *quae obscure, et confuse, attente distinguito.* Ita namque fiet, ut quae obscura sunt in aliqua re, non laedent quae in eadem sunt clara; et quae sunt clara, adjuvabunt quae obscura sunt.

IV. *Curato ne plura semel simulque addiscere studeas*; *neve rerum multitudine, atque varietate mentem obruas.* Optime Plinius: *Non multa*, *sed multum.* Imbecillitas siquidem humanae mentis non sinit pluribus esse intentam; neque sensus, quibus ipsa utitur, ad hoc sunt feliciores; hine effatum illud: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

V. *Ne putato adaequatam te acquisivisse rei alicujus ideam, quia nihil ulterius de re ipsa cognoscere potes.* Plurima namque sunt in rebus, ad quae humana intelligentia tum ob defectum virium, tum ob defectum mediorum, tum denique ob brevitatem praesentis vitae, non pertingit. Arbitrandum ergo potius, nullius rei adaequatam, numeris omnibus, habere nos posse ideam. Adeoque cavendum diligenter, ne ex ideis quas habemus, de veris rerum essentiis judicium efformemus. Persuasos oportet nos esse, corticem tantum rerum a nobis sciri posse, non vero quod intus latet in rebus.

CAPUT IV.

De Signis, quibus ideae manifestantur.

§. 84. *Animad*: Cum *homo*, ex Aristotele (Lib. 1. Politic:) *naturaliter sit animal politicum, et civile*; hoc est ad societatem, communemque vitae rationem natus; unde *nobis, quidem*, ajebat Cicero (Lib: 1. de Rep. c. 2), *insitus est a natura societatis appetitus*; *et eadem natura* (inquit idem 1. Offic:) *vi rationis hominem conciliat homini, et ad vitae societatem*; oportet propterea, ut ipse suas ideas, cogitationesque, quas in mente habet, aliis aperiat, ex quo societas humana, humanaeque societatis bonum enascitur. Quoniam vero, non solum anima, quae spiritualis est substantia, homo constat, sed et corpore materiali, profecto ut suas ideas, quae animae actiones sunt, aliis patefaciat, sensuum ministerio uti debet, atque nonnisi sensibus aliorum ideas, et cogitata percipere. Quare signis quibusdam sensibilibus indiget, quae sensus afficere valeant. Et quoniam Logicae munus est tam internum, quam externum hominis sermonem dirigere (§. 29.), de signis quibus ideae extra mentem manifestantur, hic loquendum arbitramur.

§. *85. Def. 1. Signum*, ait S. Augustinus (in Dialect:, *est quod seipsum sensui, et praeter se aliquid animo ostendit*, quod *significatum, vel signatum* dicitur. Ita fumus signum est latentis ignis. Tota itaque vis signi in eo consistit, ut connexionem cognoscamus, quae inter signum est, et rem signatam.

Signi variae divisiones.

§. *86*. Signum multiplex est; ac primo *naturale*, et *arbitrarium*. Primum est illud, quod natura sua id habet, ut rem a seipso diversam significet; ita *lacrymae*, *gemitus*, *suspiria* etc: hujusmodi, quoties in ea natura prorumpit, signa naturalia sunt doloris; atque tristitiae; quoties propterea hominem videmus lacry-

mantem, vel gemitus, aut suspiria edentem, illico eum dolore affectum cogitamus. Arbitrarium vero, sive ad placitum est illud, quod ex libera vel Dei, vel hominum voluntate id habet. Talia sunt *lacrymae*, *gemitus*, *suspiria* etc: si ex industria ad fallendum edantur, quod non raro accidit, et apud Metastasium (Parte seconda degli Orti Esperidi) Palemon Egle, his versibus exprobravit: *Voi per uso e per gioco* — *Ridete*, *e lagrimate*.

Ridendo piangete, —
Piangendo ridete,
E già su quel viso
Il pianto ed il riso
Di amore e di sdegno
Più segno — *Non è*.

§. 87. Insuper signum aliud est *demonstrativum* aliud *prognosticum*, aliud *rememorativum*. Primum est illud, quod rem praesentem indicat; secundum, quod rem futuram; tertium quod rem praeteritam menti repraesentat. Ita *lux diurna*, signum est demonstrativum Solis praesentis; *fulgura*, *tonitrua*, *aeris obscuritas* sunt signum prognosticum tempestatis imminentis; *Iris* tandem, quae in nubibus post pluviam ponitur, signum est foederis, quod Deus paepigit cum Noè (Gen: IX.)

§. 88. Signum praeterea aliud dicitur *certum*, et est illud quod numquam fallit; sic *respiratio* est signum, quod animal vivat; *incertum*, quod fallere potest: sic *exterior species frontis*, *corporis exterior habitus*, ut plurimum internis animi affectionibus non respondent; unde effatum illud: *fronti nulla fides*; aliud tandem probabile dicitur, et est illud, quod raro fallit: ita *Caeli serotina rubedo*, *Luna alba* signa sunt probabilia matutinae serenitatis.

§. 89. *Animad*; Porro incredibile prorsus est quot signa arbitraria habeat homo ad suas praesertim animae affectiones manifestandas. Verum quoniam idearum nostrarum signa, ordinario voces sunt, de his aliqua scitu necessaria hic explicare juvabit.

§. 90. *Def.* 2. *Vox* generatim accepta *est quilibet sonus animalis ore prolatus*; et duplex est, *articulata*,

et inarticulata. Vox articulata, est sonus ab homine prolatus, per syllabas, et per articulos distinctus, ad animi sui conceptus, et cogitationes exprimendas. Ita hae voces: *Homo*, *Deus*, *Anima*, *Caelum*, articulatae vocantur. *Vox* autem *inarticulata est sonus ab animante prolatus, ad animi passiones indicandas, minime per articulos distinctus*; Tales sunt *gemitus hominum, et suspiria; rugitus Leonum, mugitus boum* etc.

§. 91. *Coroll*: Quare longe differunt voces hominum, et Picarum, aut Psittacorum, illae namque animi conceptus exprimunt; hae vero temere effutiuntur.

§. 92 *Scol*: Inarticulatas voces signa esse naturalia, nemo contendet. Sintne vero voces articulatae signa etiam naturalia, vel potius arbitraria, quaestio est inter Philosophos. Ast meo videri, exigui admodum momenti. Nam si voces articulatae signa essent naturalia, eaedem res, iisdem vocabulis exprimerentur; atque gentes omnes unius labii essent; sibique invicem colloquentes, unusquisque vocem proximi sui non solum, sed cujuscumque Nationis intelligeret, ejusque cogitata perciperet. Atqui hoc experientia falsum comprobatur, ut cuique est exploratum. Igitur prorsus arbitraria signa sunt voces articulatae; quae pro varietate Nationum variae quoque sunt, et pro temporum mutatione, non raro etiam mutantur. Unde ad rem Horatius (de arte Poet.)

Ut sylvae foliis pronos mutantur in annos
Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Et paucis interjectis.

Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax.
Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi

§. 93. *Animad.* Voces articulatae *vocabula* quoque dicuntur, vel termini vocales. Si vero ideae nostrae scripto exprimantur, haec signa, *termini* simpliciter appellantur. Tam vero vocabula, quam termini, *verba* dicuntur. Hoc tamen discrimine, quod vocabula, nonnisi sono articulato proferri possunt, verba autem etiam scripto.

§. 94. *Schol.* Quoniam itaque vocabula sunt proxima idearum signa (§. 66.), licet remote res quoque ipsas significent, quae idearum sunt objecta, tot distinguere debemus vocabulorum genera, quot ideas distinximus ad objecta relatas (§. 53.). Sunt proinde vocabula *absoluta*, si absolutas; *relativa*, si relativas; *universalia*, si universales, *particularia*, si particulares, *singularia*, si singulares, *abstracta*, vel *concreta*, si abstractas, vel concretas exprimunt ideas. Haec autem omnia vocabula vel *positiva* sunt, vel *negativa*, prout vel positivam, vel negativam significant notionem et ideam. Vocabula insuper alia dicuntur *univoca*, alia *aequivoca*, *analoga* alia; item alia *cathegorematica*, sincathegorematica alia; itidem alia *propria*, alia *impropria*.

§. 95. *Def. 3. Vocabulum univocum est illud, quod eamdem habet significationem in multis*, uti *corpus* respectu lapidum, metallorum, etc. *Æquivocum* vero, *quod diversam*; uti *Taurus* respectu animalis, et signi in Zodiaco.

§. 96. *Animad.* Dupliciter autem vocabulum aliquod dici potest analogum; *analogia* scilicet *proportionis*, et *analogia attributionis*. Dicitur vocabulum analogum analogia proportionis, si eodem modo res diversas significat; ut *pes*; quod vocabulum significat *pedem hominis*, *radices montis*, *basim columnae*, *pedem scamni*; res quidem diversas, sed eodem modo; quatenus nimirum sunt substentacula *hominis*, *montis*, *columnae*, *scamni*. Analogum vero analogia attributionis dicitur vocabulum, si rem eamdem significat, sed modo diverso; ut vocabulum *sanitas*, quod significat *sanitatem hominis*, *coloris*, *medicinae*, *cibi*, sed diverso modo; attribuitur namque homini, ut sanitatis subjecto, colori veluti sanitatis signo, medicinae, vel cibo, velut sanitatis caussae.

§. 97. *Def. 4.* Vocabulum cathegorematicum est illud, quod per se, et sine addito aliquid significat, ut *lapis ex.* g. Syncathegorematicum vero, quod nihil, nisi cum cathegorematico significare potest; ut *quidam*, *nullus*, *etc*.

§. 98. *Def. 5. Vocabula propria, sunt illa, quae*

rem exprimunt, cui significandae sunt destinata. Impropria vero, vel *metaphorica illa sunt, quae ad rem aliquam significandam, ob quamdam similitudinem transferuntur*; Ita vocabulum *oculus*, proprium est, si *organum visus* significat; ubi vero Tullius *Corinthum Graeciae oculum* appellat, improprium est, atque metaphoricum.

§. 99. *Def.* 6. Qui vocabulis propriis in loquendo utitur, *usum loquendi* servare dicitur. *Est enim usus loquendi, significatus vocum in communi sermone proprius. Sermo* autem *est nexus plurium vocabulorum mentis nostrae conceptibus exprimendis idoneus.*

§. 100. *Animad.* Quoniam vocabula facile avolant, atque ad absentes, et posteros transmitti nequeunt; hinc et *scriptura* est adinventa, quae duplicis est generis; alia enim dicitur *hieroglifica*, *vulgaris* alia. Prima est imago quaedam sensibilis, rem aliquam prius significans, quam vocem. Sic oculo in extremitatem baculi posito, Dei providentiam significabant Ægyptii. Secunda vero est figura sensibilis permanens, vocesque prius significans, quam res ipsas, vel rerum ideas.

§. 101. *Schol.* Juxta nonnullorum systemata, alia non pauca, heic de vocabulis forent addenda. Verum utilius existimamus, de recto vocabulorum usu, paucos tantum subnectere

CANONES.

I. *Vocabulis rerum essentias exprimi ne putato.* Nam vocabula non sunt facta ad res significandas, sed ad exprimendos animi nostri conceptus, et ideas (§. 99.).

II. *Usum loquendi semper servato* (§. *eod.*); *proinde inania vocabula fugito, vaga, atque obscura explicato.* Nos enim non loquimur, nisi ut aliis nostras cogitationes manifestemus; atque ab illis intelligamur. Quomodo autem nostra cogitata intelligent alii, si dabimus sine mente sonos; si vagis atque obscuris vocabulis utemur; uno verbo, si ab usu loquendi discedimus?

CAPUT V.

De quibusdam vocabulis, vel loquutionibus, quae ad usum loquendi in Scholis usurpatum, pertinent.

§. 102. *Animad.* Cum in Scholis usu, quaedam loquendi formulae receptae sint, quae haud facile ab omnibus intelliguntur; atque vocabula nonnulla usurpentur ad aliqua brevius exprimenda, quae aliter, nonnisi multo verborum circuitu exprimi possent, ne Philosophus noster in iis intelligendis ingenio laboret, ea hic dilucide explicata offerimus. Ex illis autem frequentiora, quae nunc in Scholis occurrunt vocabula sunt haec. 1. *Per se, et per accidens*; 2. *Actus, et potentia*; 3. *In actu primo, et in actu secundo*; 4. *In actu signato, et in actu exercito*, 5. *Positive*, et *negative*; 6. *Absolute*, sive *simpliciter*; et *comparative*, sive *respective*; 7. *Simpliciter*, et *secundum quid*; 8. *Ut quo*, et *ut quod*; *subjective*, seu *entitative*, et *objective*. 10. *Mediate*, et *immediate*. 11. *In sensu diviso*, et *in sensu composito*. 12. *Materialiter*, et *formaliter*. 13. *Virtualiter*, et *eminenter*. 14. *Formaliter*, atque *efficienter*.

§. 103. *Per se* exprimit attributum ita convenire subjecto, ut esse non possit, quod ei non conveniat; ita *corpus* per se dicitur *grave*, quia ex legibus naturae, aliter esse nequit. Per *accidens* vero significat, attributum ita subjecto convenire, ut possit ab eo abesse, salva illius essentia; ita *corpus*, per accidens dicitur *album*, quia potest carere albedine, sine ipsius naturae, et essentiae detrimento.

§. 104. *In actu* esse aliquid dicitur, si actu existit; *in potentia* vero, si licet actu non sit, impossibile tamen non est, ut existat. Ita *hic Mundus* dicitur in actu, quia in praesentia existit; alter vero Mundus hocce perfectior, in potentia dicitur, quia etsi actu non sit, nulla est tamen in suis essentialibus repugnantia, ut existat.

§. 105. *In actu primo* usurpatur ad significandum, in aliquo adesse vim, atque facultatem aliquid efficiendi; *In actu secundo* autem, cum illud jam efficit. Ita pictor antequam imaginem aliquam pingat, dicitur in actu primo, quia facultatem habet pingendi; cum vero jam pingit, dicitur in actu secundo. In actu primo idem significat ac *aptitudinaliter*, ut ajunt; in actu autem secundo *actualiter*.

§. 106. *In actu signato* aliquid dicitur, cum illius traditur theoria; *in actu* autem *exercito*, cum quae theoretice sunt tradita, in praxim reducuntur. Ita *Regulae Logicae*, quae mentem dirigunt ad verum inveniendum, dum ediscuntur, Logica in actu signato dicuntur; dum vero iis utimur in praxi, in actu exercito appellantur.

§. 107. *Positive* aliquid esse dicimus, cum illud per aliquod positivum existit, *Negative* autem, quando illud, etsi nihil positivi habeat, oppositum tamen non habet. Ita *homo* positive *bonus* dicitur, si *justitia*, vel *prudentia* praeditus est; *negative* autem bonus appellatur, si licet virtute careat, nulla tamen vitia opposita habet.

§. 108. *Absolute*, sive *simpliciter* adhibetur, quando praedicatum aliquod subjecto tribuitur sine comparatione ad aliud; *Respective* autem, vel *comparative*, cum licet subjectum talem attributum non habeat, facta tamen comparatione cum alio, illud habere videtur. Ita *Rex* in suo Regno *dives* absolute dicitur, nulla facta cum aliis Regibus comparatione; Homo autem qui mille nummos aureos habet, *dives* dicitur *respective*; si nempe mendicis hominibus comparetur.

§. 109. *Simpliciter*, quatenus opponitur termino *secundum quid*, usurpatur ad significandum, subjectum tale esse absque ulla limitatione; *secundum quid* vero adhibetur ad exprimendum, attributum aliquod subjecto convenire cum aliqua restrictione. Ita si *Petrus*, ex. g., scientiis omnibus, ac disciplinis habeat excultum animum, *doctus simpliciter* appellabitur; sin autem sola Philosophia, *doctus secundum quid* dicetur.

§. 110. *Ut quo*, formam, vel attributum denotat, a quo subjectum suam desumit denominationem; *Ut quod*

vero subiectum exprimit, tale attributum, vel formam habentem, a qua denominatur. Ita *paries, ex. g.*, est id *quod* est album; *albedo* autem est id *quo* paries est albus. Paries ergo dicitur albus *ut quod*; albedo autem dicitur alba *ut quo*. Terminus *ut quod* denotat quandoque *caussam principalem; ut quo* vero caussam instrumentalem. Ita *Paulus*. ex. g. dicitur *scribens ut quod*, *calamus* vero, *ut quo*.

§. 111. *Subjective*, sive *entitative* aliquid dicitur esse in alio, cum in eo per suam essentiam reperitur; *terminative* autem, cum in eo terminat; *objective tandem* dicitur de rebus, quatenus potentiis obijciuntur, ut ab ipsis et percipiantur, et cognoscantur. Ita *albedo* dicitur esse subjective in pariete; quia revera in pariete albedinis forma recipitur. *Visio* autem *ocularis* Petri ex. g. dicitur esse *terminative* in pariete, quatenus visio in pariete terminat; *Paries* vero ipsa, *objective* dicitur esse in oculo Petri, quia oculo, ut videri possit obijcitur. Omnia ergo, quae vel a sensibus attinguntur, vel a mente percipiuntur, in illis *objective* esse censentur.

§. 112. Idem vocabulum *subjective*, quandoque apud Scholasticos idem est ac *intrinsece*; terminative autem idem ac *extrinsece*. Et quidem *intrinsece* saepius usurpatur pro *essentialiter, et per se* (§. 103.); *extrinsece* vero, pro *accidentaliter*, seu *per accidens*.

§. 113. *Mediate* dicitur aliquid esse, si inter ipsum quod attingitur, et potentiam, aliquod sit medium; *immediate* vero, si nullum. Sic aliquis *mediate dicitur* attigisse *ensem*, si illum in vagina repositum attigit; si vero nudatum, *immediate*.

§. 114. *In sensu diviso* significat attributum, *in actu secundo* (§. 105.) non posse convenire subjecto; *in sensu composito* autem denotat, attributum simul cum subjecto *in actu secundo* convenire posse. Ita Evangelicae illae loquutiones (Matth: XI. v. 5.) *Caeci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, in sensu* diviso verae sunt: si nempe, non uno, eodemque actu concipiantur, sed divisim; dividendo scilicet actualem caecitatem, ab actuali visione, et componendo actualem caecitatem cum

potentia ad videndum. In sensu autem composito vera est haec propositio. *Petrus sedens studet*, quia sessio cum actuali studio componitur.

§. 114. *Materialiter* denotat praedicatum subjecto convenire, non ratione formae, quae in eo reperitur, sed ratione materiae, in qua ea forma reperitur, contra vero *formaliter*, si praedicatum subjecto competit, tantum ratione formae. Ita *album* dicitur *materialiter dulce*; dulcedo namque, albo non convenit propter albedinem, sed propter subjectum *lac*, ex g. Lac siquidem, ultra albedinem, habet etiam dulcedinem. Unde ista propositio: *Album est dulce*, vera erit *materialiter*; et nihil aliud indigitat, nisi quod *albedo*, et *dulcedo* in eodem sunt obiecto; quapropter idem est dicere, *album est dulce*, ac si diceres: *albedo est in eodem subjecto ac dulcedo*: dulce vero allicit gustum, in quantum dulce est.

§. 116. *Materialiter* idem quoque significat ac *identice*, et *specificative*; identice autem dicitur, cum denominatio aliqua alicui convenit ratione subjecti, non formae, in quo una et altera forma reperitur. Ita cum dico *musicus est Philosophus*, vera est propositio *identice*, seu *specificative*, quandoquidem *Philosophia* non enunciatur de musico ut musicus est, sed ratione subjecti, in quo utraque facultas reperitur. *Formaliter* dicitur etiam *reduplicative*. Sic ista propositio: *Homo est animal rationale*, vera est *reduplicative*; homo enim est animal rationale, quatenus *homo* est.

§. 117. *Virtualiter* tale aliquid dicitur, quando licet vere non habeat formam illam, a qua possit denominari; potest tamen ipsam producere; *formaliter* vero, quando revera in se talem habet formam, a qua denominatur tale, et quam in alio subjecto producit. *Eminenter* autem aliquid dicitur, cum tali ac tanta pollet perfectione, ut quidquid imperfectius sub se continetur, perfectiori modo involvere videatur. Ita *vinum*, ex. g. dicitur *virtualiter calidum*, quia licet in se caloris formam non habeat, potest tamen ipsam habere. *Sol* dicitur *formaliter lucidus*, quia lucem in se habet, atque in aliis corporibus producit. *Organa* vero sensoria *eminenter* dicuntur *esse in Deo*, quia licet in Deo esse non

possint, eminentiori tamen, ac perfectiori modo omnia Deus cognoscit, ac si realiter talia organa haberet.

§. 118. *Formaliter*, in quantum termino *efficienter* opponitur, caussae competit, quae effectum gignit per suimet communicationem, atque inexistentiam in subjecto; *efficienter* vero illi caussae convenit, quae quidpiam producit, non per sui inexistentiam in subjecto, sed per suam virtutem, et actionem, qua talem formam in illo producit. Sic *anima* facit hominem *formaliter* viventem. Id enim praestat anima in homine per entitatem, atque inexistentiam in ipso. *Homo* autem *efficienter* a Deo, *formaliter* autem a gratia sanctificante justificatur. Deus enim *caussa efficiens* est nostrae justificationis; gratia vero intrinsecus animabus nostris inhaerens, est caussa *formalis*. Ita tenet Ecclesia Romana contra Calvinum.

Atque haec sint satis de prima parte Logicae theoreticae; Ad secundam transeamus oportet. Interim si qui sunt, qui adhuc plura desiderent, adeant Scholasticos Philosophos, si eis per otium licebit.

LOGICÆ THEORETICÆ

PARS II.

De Judiciis, atque Propositionibus.

CAPUT I.

De Judiciorum, ac Propositionum natura in genere.

§. 119. *Animad.* Cum ex rerum ideis, quas acquisivimus, duas ad invicem comparamus, atque ipsarum inter se se convenientiam, aut repugnantiam percipimus, atque unam de alia affirmamus, vel negamus, tunc dicimur *judicare*, quod est altera mentis nostrae operatio, de qua hic sumus acturi.

§. 120. *Def.* 1. *Judicium* recte definiri potest; *Duarum idearum comparatio, earumque relationis perceptio.* Hinc si duas ideas, quas habeo, *Dei* ex. gr., et *justitiae*, comparo inter se se, atque percipio, justitiam convenire Deo; haec mentis meae actio erit *judicium*, et quidem *affirmativum*; vel si comparo duas ideas *Dei*, et *materiae*, et percipio *esse materiale* non convenire *Deo*; haec actio erit quoque *judicium*, et quidem *negativum*.

§. 121. *Coroll.* Ad judicium itaque efformandum tres ideae reperiri debent; duae quidem *absolutae*, et tertia *relativa*, idea nempe convenientiae inter illas. Ita in adducto exemplo (§. 120.), ideae *Dei*, et *justitiae*, quae comparantur, sunt *absolutae*; idea vero convenientiae inter Deum, et justitiam, est tertia, quae dicitur *relativa*.

§. 122. *Schol.* 1. Duplex autem distinguitur judicium, *formale* nempe, et *objectivum*. Formale est ipsa mentis actio, unam ideam de alio affirmantis, vel negantis; Objectivum vero est judicium, jam mente perfectum, et consistit in ipsis ideis per affirmationem conjunctis, vel per negationem separatis, quae ideae, quoniam mentis considerationi objiciuntur, *judicium objectivum* nuncupantur.

§. 123. *Schol.* 2. Actus judicii est cognitio. Scilicet non per alium mentis actum cognosco, *corpus* ex. gr. *esse extensum*, nisi per quem duas ideas, corporis, et extensionis simul mente conjungo, unam de alia affirmando; hoc est per actum judicii. Et quidem non per actum praevium; Nam fieri non potest, ut cognoscat mens, corpori convenire extensionem, antequam ideas *corporis*, et *extensionis* simul nectat, atque componat; seu antequam statuat, ideam *extensionis* in idea corporis contineri; quippe antequam id praestet, nonnisi duas ideas distinctas *corporis*, et *extensionis* intuetur, nihil praeterea cernit. Sed neque cognoscere possum, *corpus* esse *extensum* per actum, qui consequatur actionem, quo affirmo *corpori extensionem* inesse. Secus namque affirmarem antequam cognoscerem quod affirmo. Ac propterea quaevis affirmatio mentis, quodvis judicium, casu prorsus, ac fortuito, et temere fieret, quod est absurdum. Igitur per unum, eumdemque actum mens et judicat, et cognoscit; adeoque ipse judicii actus est cognitio.

§. 124. *Schol.* 3. Haec de judicii natura generatim dicta sufficiant; quae ut utilia evadant, sequentes serventur.

CANONES.

I. *Ideas omnes comparandas primum omnium adquirito*; *et ut eae clarae sint*, *distinctae*, *et si fieri possit*, *adequatae*, *omnem industriam*, *diligentiamque adhibeto*. Turpissimum namque foret, et Philosopho prorsus indignum, velle judicare de rebus ignotis, aut obscuris.

II. *Versato omni ex parte ideas, easque secum invicem comparato, ut omnis, quae inter eas intercedat relatio se prodat.*

III. *Clare prorsus, quae inter ideas reperitur, relationem percipito.* In perceptione namque relationis, quae inter ideas est, tota judicii natura consistit.

IV. *Si horum quidquam defuerit, judicio intellectus non adquiescat; sed in id tantum consensiat, quod clare fuerit perceptum.*

§. 125. *Animad.* Sicuti nominibus ideae exprimuntur, ita verbis, atque vocibus judicia quoque exterius manifestantur. Cum itaque judicium, quod intus in mente efformatur, verbis exprimitur, *propositio*, vel *enunciatio* appellatur.

§. 126. *Def.* 2. *Propositio* igitur recte definiri potest, *judicium internum verbis expressum*; vel *Oratio ab hominibus instituta ad exprimendum judicium.*

§. 127. *Coroll.* Sicut ergo in judicio, ita et in propositione aliquid de re aliqua affirmatur, vel negatur.

§. 128. *Schol.* Propositio, ut perfecta dici possit, tribus constare debet; *subjecto* nempe, *attributo*, et *copula*. *Subjectum* est illud, de quo aliquid affirmatur, aut negatur; *attributum* est id quod subjecto tribuitur, aut ab eo removetur; *Copula* vero est verbum illud substantivum, quod subjectum, et attributum vel nectit, vel separat. Ita in hac propositione: *Deus est rerum creator: Deus* est *subjectum*; *rerum creator* attributum; verbum *est* copula. Porro subjectum, et attributum dicuntur quoque *termini*, vel *extrema* propositionis, quia ab utraque parte propositionem terminant; et attributum vocari etiam solet *praedicatum*. Partes itaque essentiales propositionis, tres sunt, *subjectum*, *attributum*, *et copula*.

§. 129. *Animad.* 1. Non heic tamen putandum est, tres recensitas propositionis partes, eo semper ordine dispositas esse debere, ut primo subjectum, deinde copula, tandem attributum occurrat, ut in allato exemplo (§. 128.), ita ut si aliter dispositae inveniantur, propositio perfecta dici nequeat. Nam quandoque attributum primo invenitur, ultimo subjectum, ut in hac

propositione S. Joannis (Cap. 1.) *Deus erat Verbum.* Subjectum , nempe *Verbum* , de quo asseritur , quod sit *Deus* , ultimo loco reperitur.

§. 130. *Animad.* 2. Observandum insuper est , subjecta, et attributa in propositionibus esse, non raro, nomina verbalia , aut infinita , quae sunt saepissime nomina quaedam substantiva , aut participia , quae adjectiva. Ita in hac propositione : *Sibi non cavere , et aliis consilium dare , stultum est* ; (Phaed. lib. 1. Fab. 9.); et in hac alia : *Amare , et sapere , vix Deo conceditur* ; *cavere* , et *amare* vices subjecti sustinent. Non raro etiam accidit , ut verbum , seu copula suppleri debeat ; veluti in ista Horatii.

Mors ultima linea rerum. Supplendum, *est.* Propositionis praedicatum semper exprimitur ; at copula, et aliquando etiam ipsum subjectum , in praedicato continetur ; veluti in his propositionibus : *Terra movetur* , *pluvit* : quae his aequivalent: *Terra est mota ; aqua est pluvia.* Verum quando id evenit , propositio dicitur imperfecta , vel *cryptica.*

§. 131. *Schol.* Quoniam judicium est duarum idearum comparatio (§. 120.) ; atque propositio nihil aliud est, quam ipsum judicium verbis expressum (§.126.) Cumque in omni idearum comparatione sex potissimum considerari possint ; nempe 1. *Materia* , sive ideae comparandae ; 2. *Forma* , seu comparatio ipsa ; 3. *Qualitas* comparationis , seu extremorum combinatio , vel separatio , 4. ejusdem *quantitas* , seu terminorum extensio , et latitudo ; 5. *Objectum ;* et 6. *Evidentia* relationis, hinc sub totidem aspectibus propositiones spectabimus. 1. Scilicet ratione *materiae* ; 2. *formae* ; 3. *qualitatis* ; 4. *quantitatis* : 5. *objecti* , *et* 6. *Evidentiae.*

CAPUT II.

De propositionibus ratione materiae inspectis.

§. 132. *Animad.* Materiam propositionis hic terminos intelligimus, sive voces, quibus ideae, quae comparantur exprimuntur, et ex quibus propositio ipsa coalescit. Ratione *materiae*, propositio vel est *simplex*, vel *complexa*, vel *composita*.

§. 133. *Def. 1. Propositio semplex est illa, quae unico constat subjecto, unicoque attributo*, ut ista: *Cicero fuit Orator*.

§. 134. *Def.* 2. Propositio complexa illa dicitur, quae praeter propositionem principalem, aliam propositionem complectitur, quae *incidens* appellatur, quaeque per pronomen relativum *qui, quae, quod*, alterutri termino subnectitur. Talis est ista · *Deus qui est sanctissimus, odit iniquitatem*, in qua, propositio illa adjuncta: *qui est sanctissimus*, est incidens. Non semper tamen propositio complexa expresse continet propositionem incidentem, ut in allato exemplo, sed saepe saepius implicite: uti haec: *Iudith, mulier fuit insignis fortitudine, virtute sane in mulieribus admirabilis*, quae huic aequivalet: *Iudith fuit mulier insignis fortitudine, quae est virtus sane admirabilis in mulieribus.*

§. 135. *Animad.* Propositio incidens aliquando explicat solummodo terminum propositionis, et tunc ad ornatum illius tantum pertinet, ut ista: *Cicero, qui eloquentissimus orator fuit, orationem habuit in Verrem*; aliquando vero determinat terminum propositionis principalis, et tunc intime illam afficit; ut isthaec: *Qui in Petri solio nunc sedet, prudentia est vere spectabilis.*

§. 136. *Def. 3. Illa* demum *propositio composita* dicitur, *quae multiplex habet vel subjectum, vel attributum.* Estque vel *explicita*, si propositionis compositio clare patet; vel *implicita*, et *exponibilis*, si compositio est obscura, et implicita. Explicitae propositionis species sex numerantur, videlicet 1. *copulativa*; 2. *disjunctiva*;

3. conditionalis ; 4. causalis , 5. relativa , et *6. discretiva.*

§. *137. Def. 4. Propositio copulativa* , alias *conjuncta , est illa, quae multiplex habet vel subjectum, vel attributum connexum, vel per particulas conjunctivas* et, atque , ut ista Ovidii.

Et genus, et proavos, et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco ;

vel negativas nec , non; ut haec Tullii: *Rerum omnium nec aptius quidquam ad opes tuendas , ac tenendas, quam diligi ; nec alienius quam timeri.*

§. *138.* Canon. *Ut haec propositio veritate gaudeat , requiritur ut omnes ejus partes verae sint , secus erit falsa.*

§. *139. Def. 5. Propositio disjunctiva est illa , cujus membra copulantur per particulos disjunctivas ,* aut , vel : talis est haec : *Homini recta ratione utenti aut Religioni Catholicae inhaerendum est , aut omnis religio respuenda.*

§. *140.* Canon. *Ut haec propositio vera sit , nullum inter suas partes admittere debet medium ,* alias inepta erit.

§. *141. Def. 6. Propositio conditionalis ,* seu *hypothetica est illa , quae habet praedicatum subjecto tributum sub aliqua conditione* : veluti sequens Ovidii.

Si fortuna perit , nullus amicus erit.

§. *142. Coroll.* Duabus igitur partibus constat haec propositio ; quarum , quae conditione afficitur , vocatur *antecedens* , altera *consequens.*

§. *143.* Canon. *Veritas hujus propositionis posita est praecise in connexione antecedentis cum consequente , et dependentia consequentis ab antecedente.* Hinc vera est sequens propositio : *si existunt contingentia , existit* Ens *necessarium* ; falsa autem haec alia. *Si existit Ens necessarium , existunt entia contingentia.* Nam Ens necessarium existere potest sine contigentibus, sicut ab aeterno extitit priusquam hunc mundum conderet. Est enim liberrimus , et a nullo dependens.

§. *144. Def. 7. Propositio caussalis illa est , i qua ratio additur cur praedicatum subjecto tribuatur*

ut illa Jeremiae Prophetae (cap. XII. v. 11.): *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde. Ad hujus propositionis veritatem requiritur, ut una ejus pars sit vera caussa alterius.*

§. *146. Def. 8. Propositio relativa*, vel *relata illa dicitur, cujus una pars ab altera vim sumit*, ut illa S. Joannis (Apocal. Cap. 18. v. 7.) : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.*

§. *147. Def. 9. Propositio discretiva*, vel *discreta est illa, quae duo, de eodem subjecto judicia continet, qualitate diversa*; veluti haec Senecae : *omnes pares nascimur*, (sola) *virtute distinguimur*; aut illa Nasonis.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Veritas hujus propositionis ex veritate pendet ambarum ipsius partium.

§. *148. Schol.* Implicitae, seu exponibilis propositionis septem sunt species. 1. *Exclusiva*; 2. *exceptiva*; 3. *comparata*; 4. *restrictiva*; 5. *inceptiva*; 6. *desitiva*; et 7. *reduplicativa.*

§. *149. Def. 10. Exclusiva enunciatio est illa, in qua sensus duplicatur per particulas exclusivas* solum, dumtaxat, tantum; et duplex est; vel nempe exclusi subjecti; ut : *solus Deus est omnipotens*; vel exclusi praedicati; ut *oculus tantum videt.*

§. *150. Def. 11. Exceptiva propositio illa est, in qua particulae exceptivae* praeter, nisi, *sensum multiplicant*; sic ista : *Nullum est verum bonum, praeter virtutem.*

§. *151. Def. 12. Propositio comparata dicitur illa, in qua expressio, vel particula quaedam comparativa, relationem affert inter subjectum, et attributum; adeoque geminus inde emergit sensus*; uti haec.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum; aut illa Senecae : *Miserius est nocere, quam laedi.*

§. *152. Def. 13. Restrictiva enunciatio est illa, quae multiplicem continet sensum, per particulas restrictivas* quatenus, in quantum, quoad, *etc. geminatum*; ut ista: *Homo, quatenus rationalis, caetera animalia praestat.*

§. *153. Def. 14. Propositio inceptiva est illa, quae actionem aliquam in principio enunciat*; ut : *A Christi*

domini in Caelum ascensu, justis Paradisi janua fuit aperta. Desitiva vero *est illa, quae ejus cessationem, et finem enunciat*; ut: *fundata Christi Ecclesia, Judaeorum Sinagoga fuit reprobata. Reduplicativa* tandem *propositio illa est, in qua subiectum, aliud judicium tacitum sub se continet*; veluti ista: *Homo, qua homo est, differt ab Angelo.*

§. *154. Coroll.* Reduplicativa itaque enunciatio, optime reduci potest ad caussalam (§. 144.); atque eadem est cum restrictiva (§. 152.).

CAPUT III.

De Propositionibus ratione formae inspectis.

§. *155. Def. 1. Forma propositionis est delita extremorum, subjecti scilicèt, et praedicati connexio per verbum sive copula* est.

§. 156. *Schol.* Quemadmodum vero praedicatum vel *necessario*, vel *contingenter*, vel *possibiliter* subjecto conjungitur, vel conjungi omnino non potest, ita propositio, ratione formae inspecta, quadruplex est; scilicet 1. *necessaria*; 2. *contingens*, vel *fortuita*; 3. *possibilis*; 4. *impossibilis.*

§. *157. Def. 2. Pooposilio necessaria*, sive *in materia necessaria est illa, in qua subjectum, et attributum ita conjunguntur, ut aliter esse sit impossibile*: Ut: *Circulus est rotundus. Contingens* vero, sive in *materia contigenti illa, cujus termini ita connectuntur, ut aliter esse possint*: uti: *filius erit Patri obediens.*

§. *158. Def. 3. Propositio possibilis illa dicitur, in qua attributum subjecto non repugnat*: uti: *paries erit albus. Impossibilis* vero *est illa, cujus termini simul consistere nequeunt*: uti: *Deus est invidus.*

§. *159. Animad.* Hujusmodi propositiones vel ita efferuntur, ut non exprimatur modus, quo praedicatum subjecto convenit: ut in adductis exemplis (§. 157. 158), et dicuntur *absolutae*, vel modus exprimitur, et appellantur *modales*, cujusmodi sunt: *circulus est necessario rotundus; contingens est quod filius Patri obsequatur.*

§. 160. *Schol.* Ita vulgo Dialectici. Sed tamen facile patet, praeter modo (§. 159.) recensita, alia quoque esse genera propositionum modalium. Nam propositionum affirmatio, aut negatio, non tantum modificari potest uno ex dictis modis, nempe *necessitate*, *contingentia*, *possibilitate*, *impossibilitate*, sed aliis quoque modis, ac praesertim *animi persuasione*, qua affirmatur, vel negatur. Potest enim quis affirmare *certo*, *evidenter*, *probabiliter*, *ex propria sententia*, *ex aliorum placitis*. Modificatur quoque affirmatio, vel negatio a circumstantiis extrinsecis *loci*, *temporis*, etc. Quod enim de una re affirmatur pro uno tempore, vel loco, saepe negatur pro alio loco, et tempore. Itaque modales habendae sunt hae omnes propositiones: *Ego aio*; vel *certum est*, vel *evidenter constat*, vel *revelatione edocemur*, *mentem humanam esse immortalem*. *Evidenter falsum est*, *Deum res humanas minime curare*. *Hannibal Romanos profligavit ad Cannas*, etc. Patet enim vero, attributum de subjecto affirmari, vel negari modificatione quadam, non absolute.

§. 161. *Animad.* 1. Propositio modalis esse potest tum in *materia*, cum in *forma*. Itaque haec: *Verbum caro factum est*, utique absoluta est, attamen pluribus modis modificari potest; 1. in subjecto: ut si dicam: *Verbum, quod est* filius *Dei*, *caro factum est*; 2. in praedicato; ut si dicam: *Verbum caro factum est in utero Virginis Mariae;* 3. in verbo, seu copula; ut si dicam: *Verbum*, *proculdubio*, *est caro factum*; 4. tandem in subjecto simul, et attributo; ut si dicam: *Verbo incarnato gloriosissimum fuit a mortuis resurgere.*

§. 162. *Animad.* 2. In modali propositione, modus qui additur, potest esse vel *explicans*, vel *determinans*, seu *restringens*, vel etiam *amplians*. *Explicans* est, cum dictio, vel propositio, quae additur, id significat, quod reipsa in idea, per terminum modificatum significata continetur; veluti cum dico: *Deus, qui omnia potest*, *Virginem post lapsum reparare non potest.* Nam propositio illa incidens: *Qui omnia potest*, id significat, quod in idea Dei reipsa implicite continetur; neque Deus esse potest, quin sit omnipotens. *Modus determinans*

addit termino modificato novam qualitatem, quae in illius idea non continetur, et per quam termini ipsius significatio limitatur; veluti cum dico: *Homines, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur.* *Modus amplians* extendit ideam termini modificati; veluti cum dico: *Justi, non ii modo, qui tempore Evangelii vivunt, sed et qui in intervallo Mosaico, et Patriachali floruerunt, per fidem Christi justitiam consequuti sunt.*

§. *163.* *Coroll.* Cum in qualibet propositione modali apponatur affirmationi, et negationi limitatio, et modificatio (§. 159.); cumque ea nequeat apponi, nisi additione alicujus propositionis, patet, propositionem modalem, saltem in duas propositiones resolvi; quarum cum una principalis esse debeat, altera minus principalis, seu *incidens*, recte infertur, propositionem modalem ad complexam (§. 133.) reduci.

CAPUT IV.

De propositionibus ratione qualitatis.

§. *164.* *Animad.* Per qualitatem propositionis hic intelligitur ejus *affirmatio*, vel *negatio*; *veritas*, vel *falsitas*. Quare ratione qualitatis, dividitur propositio 1. in *affirmativam*, sive *aientem*; et *negativam*, sive *negantem*; 2. in *veram*, et *falsam*, 3. in *certam*, et *dubiam*; 4. in *Evidentem*, et *obscuram*; 4. tandem in *probabilem*, et *improbabilem*.

§. *165.* *Def.* *1.* *Propositio affirmativa, seu aiens est illa, in qua attributum subjecto convenire affirmatur*; ut: *Homo est mortalis.* *Negativa, seu negans vero illa, in qua attributum subjecto discrepare dicitur*; ut: *Anima hominis non est mortalis.*

§. *166.* *Animad.* Ut propositio sit negativa, particula negans debet esse copulae praeposita. Nam si non ad copulam, sed vel ad subjectum, vel attributum referatur, propositio non negativa, sed vel affirmativa, vel infinita evadet. Quare hae propositiones: *non probi sunt mi-*

seri: non parvo labore virtus acquiritur, sunt adfirmativae; particula enim negativa *non*, in prima est subjecto praeposita, praedicato autem in secundo; aequivalent proinde his: *improbi sunt miseri*; *multo labore virtus acquiritur*. Haec autem propositio: *Filius Dei poterat in Mundum non venire, quia liberrimus*, infinita est; negans quippe particula, est praedicato praeposita.

§. *167*. *Def*. 2. *Propositio vera illa dicitur, quae de subjecto affirmat, vel negat, quod revera subjecto ipsi convenit, aut disconvenit*. Ita verae sunt hae propositiones: *Deus est providentissimus*: *Deus non est personarum acceptor*. *Falsa* vero est *enunciatio, quae affirmat de subjecto, quod ipsi non convenit; vel contra negat, quod convenit*. Hinc falsae sunt sequientes propositiones: *Post haec erimus tamquam non fuerimus*: *Spiritus diffundetur tamquam mollis aer*: *Deus nostra non considerat*.

§. *168*. *Schol*. Multipliciter autem propositio aliqua dicitur vera; vel 1. *materialiter*; vel 2. *formaliter*; vel 3. *in sensu literali*; vel 4. *in sensu allegorico*; vel 5. *in sensu composito*; vel 6. *in sensu diviso*. Propositio dicitur vera materialiter, quando attributum non convenit subjecto ratione ispius naturae; sed nominis; ut haec: *Petrus est nomen substantivum*; vel *duabus syllabis constans*. Formaliter vera, si praedicatum essentiae subjecti tribuitur; ut: *Petrus est homo*.

§. *169*. *Def*. *3*. Propositio vera in sensu literali illa dicitur, qua res ita accipiuntur, uti literaliter denotant voces, quibus exprimuntur: talis est illa Davidis (Psal. X. v. 6.): *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Vera autem propositio in sensu allegorico, vel *metaphorico* dicitur, in qua voces ipsae ad aliquid aliud, per quamdam similitudinem, significandum transferuntur: talis est haec Christi Domini apud Joannem (Cap. XV. v. 1.): *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est*.

§. *170*. *Def*. *4*. Tandem propositio vera in sensu composito est illa, qua enundiatur, attributum subjecto convenire, eodem tempore, et nulla facta mutatione: veluti si diceretur: *Qui facit peccatum servus est peccati*, imde est ac si diceretur: *Peccator, quamdiu est pecca-*

tor, servus est peccati. (Joan. Cap. VIII. v. 34.). Propositio autem vera in sensu diviso est illa, in qua attributum subjecto convenire enunciatur, non pro tempore praesenti, sed de tempore futuro, et facta in eo mutatione; ita: *Homo peccator est servus Dei*; hoc plane significat: *Hominem servum Dei esse, statim ac reliquerit, ex corde iniquitates, et fecerit justitiam.*

§. 171. *Def. 5. Propositio certa est illa, de cujus veritate nequit mens dubitare. Dubia vero, de qua mens suspensum habet assensum.*

§. 172. *Def. 6. Propositio evidens est illa, cujus veritas perspicue affulget menti.* Et si ejus veritas ex ipsis ejus terminis manifeste patet, vocatur etiam *per se nota, axioma, principium. Obscura* vero, *cujus veritas perspicue menti non affulget.*

§. 173. *Def. 7. Propositio probabilis illa dicitur, cujus veritas ita apparet, ut tamen relinquat formidinem de opposito. Improbabilis* vero, *cujus veritas admodum infirmis fundamentis innititur.*

CAPUT V.

De propositionibus ratione quantitatis.

§. 174. *Animad.* Quantitas propositionis est extensio, et amplitudo, quam obtinet subjectum. Quia ergo subjectum vel nullam, vel aliquam, vel omnem, vel tandem indeterminatam habere potest extensionem; hinc, quae ad hoc caput propositiones attinent, sunt vel *singulares*, vel *particulares*, vel *universales*, vel *indefinitae.*

§. 175. *Def. 1. Propositio singularis* est illa, in qua individuum subjecto exprimitur, ut isthaec: *S. Paulus raptus fuit ad tertium Coelum* (II. Corinth. XII. v. 2.). Signum hujus propositionis est: *hic, ille, hoc, istud etc.*

§. 176. *Def. 2. Propositio particularis est illa, quae ad aliquas tantum species, aut individua in subjecti notione contenta extenditur*; ut; *quidam ex vobis Philosophi evadent.*

§. 177. *Def. 3. Propositio universalis est illa, in qua attributum subjecto convenit in tota sua extensione;* ut: *Omnis homo est libertatis capax.* Propositionis particularis affirmativae signum, est *aliquis*, *quidam*, in negativa additur particula *non*. Signum tandem propositionis universalis est *omnis nullus*.

§. 178. *Schol.* Dupliciter autem potest propositio dici universalis; *universalitate* nempe *metaphysica*, et *universalitate morali*. Propositio universalis universalitate metaphysica, est illa, quae omnia inferiora genera, species, et individua, ne uno quidem excepto, complectitur; ut ista: *Omnis homo est rationalis.* Propositio autem universalis universalitate morali, est illa, quae non omnia inferiora sub se contenta, sed fere omnia comprehendit; ita haec Apostoli (Rom. III. v. 12. ex Psal. XII. v. 4.): *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Esto namque omnes in Adam peccaverint, non ideo ita omnes, et singuli inutiles facti sunt, ut nullus, vel gratia ipsa Dei adjutus, bonum aliquod supernaturalis ordinis faciat.

§. 179. *Def. 4. Propositio infinita* est illa, quae subjectum habet indeterminatum, et pluribus commune, ut: *homo ratione gaudet*; subjectum namque *homo*, est commune *Petro Paulo*, etc. Verum propositiones hujusmodi, optime ad universales, particulares, et singulares reduci possunt; prout scilicet vel ejusmodi sunt, ut attributum subjecto in tota sua extensione conveniat; vel inferioribus omnibus; vel inferioribus collective.

§. 180. *Schol.* In propositionibus, quarum objecta sunt communia, subjectum multimode accipi solet; vel nempe 1. accipitur pro omnibus suis inferioribus in unum simul collectis; vel 2. pro omnibus, et singulis; vel 3. pro singulis, sed non pro omnibus; vel 4. pro uno singulari. Si propositionis subjectum commune accipitur pro omnibus inferioribus collective, propositio erit singularis: Ita haec propositio: *Omnes homines simul sumti, destituuntur vi infinita*, singularis est. Hic namque, omnes homines simul collective, spectantur instar individui;

perinde ac si diceretur: *Universum genus humanum vi infinita destituitur.* Item si subjectum, licet commune, determinetur ad unum singulare, propositio erit singularis; uti haec: *Homo, qui diligit Deum, abstinet se a peccatis.* Quod si propositionis subjectum sumitur pro singulis inferioribus, sed non omnibus, tunc propositio erit particularis: uti haec: *Itali sunt ingeniosi.* Si tandem subjectum propositionis accipitur pro omnibus, et singulis inferioribus, propositio est universalis; uti haec: *Homines ratione pollent* (§. 158.).

§. *181. Coroll.* Propositiones itaque singulares, in qualibet propositione sive universali, sive particulari continentur. In qualibet enim propositione sive universali, sive particulari, attributum de singulis subjecti inferioribus affirmatur, vel negatur. Itaque in hac propositione universali: *Totum est sua parte majus*, continentur hae singulares: *Tota Tellus est major Europa*; *tota Europa major est Italia*; *tota Italia major est Neapolitano Regno*, etc. Similiter sub hac particulari: *Plerique Mathematica studia impense coluerunt*, continentur singulares: *Euclides Mathematica studia coluit: coluit Archimedes: coluit Cartesius: coluit Newtonus, etc:*

§. *182. Animad.* Subjectum propositionis universalis, quod plerumque est genus aliquod, continens sub se varias species, specierumque individua, aliquando accipitur pro singulis speciebus, aliquando pro singulis etiam individuis. Cum pro speciebus tantum accipitur, propositio universalis, dicitur *de generibus singulorum*; cum vero sumitur pro singulis specierum individuis, dicitur propositio universalis, *de singulis generum.* Id probe observandum est, ne majorem, quam par sit, extensionem propositionibus tribuamus. Ita cum dicimus: *Omnia animalia fuisse in Arca Noe introducta*; propositio est de generibus singulorum; non enim omnia animalium individua, sed omnium animalium species servatae sunt in Arca.

CAPUT VI.

De Propositionibus ratione objecti, et evidentiae.

§. *183. Def. 1.* Ratione objecti propositio duplex est: *theoretica*, et *Practica*. *Propositio theoretica* illa dicitur, in qua aliquid de subjecto enunciatur: ut: *corpus est divisibile*. *Practica* vero est illa, quae aliquid fieri posse, vel debere enunciat: uti: *a puncto ad punctum rectam lineam ducere*.

§. *184. Animad.* Si propositio theoretica est per se adeo clara, ut nulla egeat demonstratione, eo quia extremorum nexus per se patet, talis propositio dicitur *Axioma*; ut haec: *bis duo quatuor efficiunt*. Si vero non est adeo per se clara, sed indiget demonstratione, dicitur *Theorema*; veluti haec: *Scientia Philosopho est necessaria*.

§. *185. Def. 2.* Itaque *axioma* recte dici potest: *propositio theoretica indemonstabilis; Theorema vero propositio theoretica demonstrabilis*.

§. *186. Animad.* Ulterius si propositio practica est per se nota, ut primo veluti intuitu pateat, nec ulla indigeat demonstratione, hujusmodi propositio dicitur *Postulatum*; uti: *quovis centro, et quovis intervallo circulum describere*. Si vero talis propositio opus habet demonstratione, dicitur *Problema*; uti haec: *In datam rectam lineam terminatam, triangulum aequilaterum constituere*.

§. *187. Def. 3. Postulatum* ergo rite definitur. *Propositio practica indemonstrabilis;* Problema vero: *propositio practica demonstrabilis*.

§. *188. Schol.* Sunt et alia nomina propositionum, quae ad mathematicam methodum spectant, et apud Matheseos tractatores in usu; scilicet *Corollarium*, *Scholion*, *Animadversio*, *Lemma*, *et Hypothesis*.

§. *189. Def. 4. Corollarium*, vel *consectarium* est propositio, quae sponte sua, et. per necessariam deductionem ex alia consequitur.

§. *190. Def. 5. Scholion*, vel *Scholium* est uberior

declaratio demonstratae alicujus propositionis. Idipsum fere est *Animadversio*, hoc solo diversa, quod in hac, monita tantum proponi soleant, in illo vero quaecumque ad demonstratae propositionis dilucidationem conferre possunt, exponuntur.

§. 191. *Def.* 6. *Lemma* est propositio ex aliena doctrina desumta, quae cum alicui propositioni ostendendae inserviat, neque commode citari possit, eidem propositioni praemittitur, atque demonstratur.

§. 192. *Def.* 7. *Hypothesis* tandem est propositio vera, quae talis supponitur absque ulla demonstrationis necessitate; quaeque inservit ad aliam aliquam demonestrandam; quae dicitur *thesis*.

CAPUT VII.

De definitione, atque Divisione

§. 193. *Def.* 1. *Definitio est propositio, distincte, atque complete explicans id, de quo agitur.* Quod si propositio distincte quidem, sed non complete explicat, quod est in re, de qua agitur, tunc non definitio, sed potius *descriptio* dicedenda est. Atque in hac etiam accidentia locum habent. Duplex autem distinguitur definitio, *nominis* scilicet, et *rei*.

§. 194. *Def.* 2. *Definitio nominis est illa, qua vocabulorum nomen, et significatio aperitur; definitio autem rei illa dicitur, qua determinatur, quaenam in data idea continentur, per quae ab alia quaelibet distinguitur.* Ita cum dico: *Nomine corporis intelligo quidquid sensatione percipitur*, facio definitionem nominis; cum vero dico: *Corpus est substantia solida, extensa, iners, gravis*, facio definitionem rei. In illa namque explico, quid nomine corporis intellectum velim: in ista vero determino, soliditatem, extensionem, inertiam, gravitatem in corpore contineri, quibus qualitatibus, corpus constituitur, et ab alia quavis re discernitur.

§. 195. *Schol.* Nominis definitio, maximo in usu apud scientiarum tractatores esse debet. Est namque prorsus incredibile quot obstinatae, et scandalosae contentiones,

omni tempore exortae sint, atque in dies enascantur ex vocibus, atque terminis aut non rite explicatis, aut male intellectis. Hinc optime Tullius (Lib. 1. de off.) scripsit: *Omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur.* Definitio autem realis duplex est; *essentialis* una, *accidentalis* altera.

§. 196. *Def.* 3. *Essentialis* est illa, quae rem per essentialia attributa, quibus componitur, explicat: Uti haec: *Homo est animal rationale; Accidentalis* vero, quae rem explicat per quasdam accidentales proprietates, quae non necessario, sed accidentaliter rei insunt; veluti haec: *Homo est animal providum, sagax, acutum, memor, plenum consilii, et rationis.* Verum haec, *descriptio* (§. 193.) potius, quam definitio dicenda est; non enim distincte, et complete hominis naturam explicat.

§. 197. *Schol.* Satis nunc de definitionibus, tantum ut iis recte uti sciat Philosophus noster, sequentes cordi habeat

CANONES.

I. *Inter definitionem nominis, et nominis etymologiam probe distinguito.* Illa namque determinat notionem: quae dato vocabulo tribuitur, haec vero explicat tantum originem, veramque rationem nominis; ut si dicam: *Christus est unctus: Deipara est, quae Deum genuit.*

II. *Definitiones nominis, a definitionibus rei plurimum differre putato.* Istae namque, quoniam determinant quaenam in rei idea continentur (§ 186.) necessariae sunt; Illae vero, quoniam vocabulis constant, quae ad certam quampiam ideam significandam assumuntur (quod est omnino arbitrarium), arbitrariae sunt.

III. *Vocabulis vel perfecte notis, vel distincte explicatis definitiones nominales conficito. Thecnica vocabula ne spernito; tantummodo illorum significata definito.* Vocabula thecnica illa dicuntur: quae alicujus scientiae, vel artis, sunt propria. Sua namque vocabula habet Philosophia (§. 102.), sua habet medicina, sua habet Theo-

logia; quae nisi definiantur, altercationibus, atque confusionibus viam aperiunt.

IV. *Definitio nec latior sit, nec angustior re definita, sed aequalis; ut sic invicem substitui possint.* In reali ergo definitione, tot rei definitae characteres enumerentur, quot rem definitam constituunt, et ab alia quacumque re distingunt. Nam definitio est ipsum definitum magis evolutum (§. 193.); nec minus exprimi debet definitione, ac est in definito. Hinc illa Scholarum axiomata: *Cui convenit definitio, convenit et definitum;* et contra: *Cui repugnat definitio, repugnat et definitum.*

V. *Definitio sit clarior re definita.* Alias enim ignotum per aeque ignotum explicaretur.

§. *198. Def. 4. Divisio est rei, utcumque compositae, in suas partes, vel quasi partes distributio.* Res namque composita vel est verum aliquod totum, ex veris exurgens partibus, reipsa distinctis, vel est idea universalis, cujus quasi partes sunt inferiora sub idea universali contenta.

§. *199. Coroll.* Divisione ergo vel 1. partimur totum in partes essentiales, quae scilicet ad essentiam pertinent: ut *homo in animam, et corpus*; aut 2. in partes integrales, quae ad integritatem tantum spectant; uti: corpus *humanum dividitur in caput, collum, brachia, pectus, etc.* vel 3. genus in species; ut: *animal in hominem, et belluam;* vel 4. genus per differentias; ut: *animal in rationale, et irrationale;* vel 5. subjectum per sua accidentia; uti: *corpora caelestia in lucida, et opaca*; vel 6. accidens per sua subjecta; ut: *bonum est vel animi, vel corporis*; vel 7. caussas per effectus; ut: *amor vel ad beatitudinem ducit, ut amor Dei, vel ad miseriam, ut amor creaturarum;* vel 8. effectus per caussas; ut: *Leges humanae vel canonicae sunt, vel civiles*; vel tandem 9. qualitates per subjecta; ut: *scientia vel est de rebus divinis, vel humanis.*

§. *200. Animad.* Membra divisionis jam factae, nihil vetat, quominus singula iterum dividi queant, si nempe veluti totum considerentur, respectu ad partes sub se contentas: ita caput humanum, ex. gr., potest subdividi *in oculos, aures, nasum, os, linguam, etc.* Id autem

cavendum ne fiat, nisi natura rei, quam dividimus id exigat; etenim divisio naturae aptanda est, non arbitrio nostro. Sine necessitate propterea subdivisiones multiplicandae non sunt; quippe confusionem potius, quam claritatem repetitae subdivisiones afferre solent; Nam, uti aiebat Seneca (Epist. 89.): *Simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est*.

§. 201. *Schol.* Quae pro recta divisione a Logicis traduntur regulae ad unicum hunc Canonem reducuntur; nempe: *Membra divisionis sint opposita, nullum deficiat, nullum redundet.* Nam si totum est aequale omnibus suis partibus simul sumtis, omnes partes per divisionem sejunctae, ita debent se habere, ut si denuo simul sumantur, totum adaequent; itaque neque minus, neque plus esse debet in partibus divisis, ac fuit in toto, partibus scilicet simul sumtis. Unde inepta est *Terrae divisio in Asiam, Africam, et Europam*; vel *in Asiam, Africam, Americam, Europam, et Italiam.* In prima namque divisio Terrae deficit; deest quippe *America*, in secunda vero redundat: Italia enim in Europa continetur (a).

CAPUT VIII.

De Propositionum affectionibus.

§. 202. *Animad.* Propositionum affectiones quatuor potissimum numerantur; videlicet 1. *Oppositio*, 2. *Subalternatio*; 3. *Conversio*; et 4. *Æquipollentia.*

§. 203. *Def.* 1. *Oppositio est collatio duarum propositionum inter se pugnantium*; et triplex est, 1. *contraria*, 2. *subcontraria*, et 3. *contradictoria.*

§. 104. *Def.* 2. *Oppositio contraria* est illa, quae versatur inter propositiones universales aientes, et universales negantes: sic, ex. gr. *Omnes homines indigent divina conservatione*: *Nullus homo indiget Dei conservatione.*

(a) *Vid.* P. Fortun. a Brixia *Log. P. I. Sect. IV.* P. Odoard. del Giudice *Log. P. II. Cap. IV.* aliosque.

§. 205. *Def. 3. Subcontraria* est ea, quae inter particulares aientes, et particulares negantes versatur. Ex. gr. *Quidam homines sunt pii*; *quidam homines non sunt pii.*

§. 106. *Def. 4. Contradictoria* tandem est illa, quae versatur inter universales negantes, et particulares aientes; ut: *Nullus homo sine Dei gratia salvatur: aliquis homo sine Dei gratia salvatur*; 2. inter universales aientes, et particulares negantes: ut; *Omnis homo est libertatis capax: aliquis homo non est libertatis capax*; 3. inter singulares aientes, et singulares negantes; ut *S. Petrus fuit Romae*: *S. Petrus non fuit Romae.*

§. 207. *Animad.* Ut autem propositiones sibi mutuo opponantur, omnino necesse est, ut idem ipsissimum attributum, de subjecto eodem affirmetur simul, et negetur; et quod tam subjectum, et attributum, quam affirmatio, et negatio, in utraque propositione, cum eadem modificatione, et determinatione accipiatur. *Oppositio* enim *est affirmatio, et negatio secundum idem.* Hinc nullimode opponuntur hae propositiones. *Libri sacri, juxta Canonem Ecclesiae Romanae, sunt integri*; Libri Sacri, juxta Canones Haereticorum, *non sunt integri; Deus est unicus*: *Deus, juxta Manichaeos, non est unicus etc.*

§. 208. *Schol.* Circa propositionum oppositionem sequentes attendendi sunt.

CANONES.

I. *Ex propositionibus contrariis una debet esse vera, altera falsa.* Nam si ambae forent verae, idem simul esset, et non esset, quod repugnat; quare si verum est: *Omnes homines egere divina conservatione*; falsum est procul dubio ejus contrarium. Hoc autem locum habet, quoties agitur de propositionibus in *materia necessaria*; in illis nempe, in quibus attributum necessario convenit, aut necessario repugnat. At *in materia contingenti*, quando nempe attributum fortuito convenit, aut non convenit subjecto, contrariae, licet ambae non possint esse simul verae, ambae tamen falsae esse possunt. Hinc si ambae verae esse non possunt hae proposi-

tiones: *Omnis homo est doctus*: *nullus homo est doctus*; ambae tamen falsae sunt. Etenim neque omnes homines sunt docti, neque omnes homines sunt imperiti; siquidem inter ipsos, dantur et docti, et imperiti, uti compertum est.

II. *Propositiones subcontrariae in materia contingenti possunt esse simul verae*: *At in nulla materia simul falsae.* Si namque verum est aliquos homines esse pios; cum haec propositio non sit universalis, erunt inter homines aliqui non pii; verum ergo erit etiam; *aliquos homines non esse pios.* Igitur in materia contingenti, etc. At in nulla materia esse possunt simul falsae. Non quidem in materia contingenti. Nam si falsum est, aliquos homines esse pios, verum tamen est aliquos etiam esse inter homines, qui pii sunt. Sed nequidem in materia necessaria. Nam si ego dicam: *aliqui homines sunt libertatis capaces*; haec propositio est necessario vera; Si vero dicam: *aliqui homines non sunt libertatis capaces*; haec propositio debet esse necessario falsa, cum attributum *capacitatis libertatis*, homini ita necessario conveniat, ut non possit ei non convenire.

III. *Propositiones contradictoriae esse non possunt simul verae, nec simul falsae*; *sed una est necessario vera, altera falsa.* Non potest enim eidem individuo subjecto, idem omnino attributum: eodem modo acceptum convenire simul, et non convenire.

§. 209. *Schol.* Atque haec, quae de propositionum oppositione exposita sunt, magnam habent utilitatem in veritate investiganda, atque in extensione cujusvis propositionis dijudicanda. Nam ex propositione falsa, si faciam illi contradictoriam, intelligo propositionem veram; atque eodem artificio agnosco, quantum extensionis propositionibus conveniat, quod plerumque non constat; et tamen est apprime necessarium ad rectam interpretationem. Ita, Ex. gr., invenio in Scripturis (Roma. V.) hanc propositionem: *Omnes in Adam peccaverunt.* Haec procul dubio verissima est, sed quantam extensionem habeat, non apparet. Hoc ut intelligam, quaero propositionem ei contradictoriam: *Quidam homo in Adam non peccavit.* Haec rursus vera est; Nam Christum Dominum in Adam non peccasse, nec peccare potuisse, fides docet;

Ipsam BB. Virginem ab Adamitico peccato fuisse immunem, Ecclesiastica sententia est. Ne igitur contradictoria ambo vera admittamus, dicendum, propositionem illam Apostoli, 1. non extendi, nisi ad puros homines, qui communi via generantur, ut excludatur Christus; 2. eam, relate ad eos homines universalem esse, *universalitate* tantum *morali*, non autem *metaphysica* (§. 128), ut excipiatur Virgo Maria.

§. 210. *Def.* 5. *Subalternatio* est mutua quaedam relatio duarum propositionum, quae sola quantitate inter se se differunt; quantenus scilicet earum una est universalis, particularis alia; sed utraque vel affirmativa, vel negativa: hujusmodi sunt haec: *Omnis homo rationis est particeps*: *Aliquis homo rationis est particeps.* In subalternatione, propositio, quae est universalis vocatur *subalternans*; quae autem particularis, *subalternata*.

§. 211. *Schol.* Quod autem ad hanc propositionum affectionem spectat, sequentes tenendi sunt,

CANONES.

I. *Si vera est propositio subalternans, vera erit quoque subalternata; non autem contra.* Nam subalternata propositio est veluti pars propositionis subalternantis; si ergo haec, quae est universalis universalitate metaphysica (§. 178.), est vera, erit etiam et illa vera. At non contra; nam propositio subalternata, cum sit particularis, sub subalternante continetur, minus propterea quam illa complectitur. Hinc si vera est haec propositio: *aliquis homo est doctus*, non ideo vera erit ista: *Omnis homo est doctus.* Hoc autem intelligendum est de materia contingenti; Nam

II. *In materia necessaria nequit esse vera, vel falsa subalternata, quin vera sit, aut falsa subalternans.* Quare si verum est, *quosdam homines esse ratione praeditos*; verum quoque erit, *omnes homines tales esse.* Etenim in materia necessaria, quod convenit, aut repugnat uni individuo unius speciei, necessario quoque convenit, aut repugnat omnibus, et singulis, quae sub illa specie continentur.

III. *Si falsa erit subalternata, falsa etiam erit subalternans*; *non autem contra*. Ut enim vera sit propositio subalternans: scilicet universalis, requiritur ut omnes ejus partes sint verae, si ergo subalternata, quae est illius pars, est falsa, falsa quoque est subalternans. Non autem contra; nam in materia contingenti potest subalternans esse falsa, quin falsa sit subalternata (Can. 1.).

§. 202. *Def.* 6. *Conversio* propositionis est mutua extremorum illius substitutio, subjecti nempe in locum praedicati, et praedicati in locum subjecti, salva propositionis veritate.

§. 203. *Schol.* Propositionis conversio triplex est; scilicet 1. *simplex*; veluti cum manet eadem qualitas, et quantitas, ut cum haec propositio: *Omnis spiritus cogitat*, convertitur ita: *Omnis substantia cogitans est spiritus*. Affirmativa namque est prima propositio, affirmativa secunda; universalis prima, universalis secunda. 2. *Per accidens*, cum quantitas sola mutatur; uti haec *Omnis doctus est homo*, quae convertitur: *quidam homo est doctus*. 3. tandem *per contrapositionem*, veluti cum, salva propositionis quantitate, terminis additur negatio, qua fit ut propositio, ex determinata, evadat infinita; ut si haec: *Quidam homo non est prudens*, ita convertatur: *quoddam non prudens est homo*.

§. 204. *Def.* 7. Æquipollentia propositionum est duarum propositionum oppositarum ad eumdem sensum reductio, per particulam *non*; quae in contradictoriis subjecto praeponitur; ut: *Omnis homo est fidelis*; *non aliquis homo est fidelis*; In contrariis postponitur; ut: *Omnis homo liberate gaudet*: *Nullus homo gaudet libertate*; In subalternis praeponitur, et postponitur; ut: *Omnis homo est sapiens*; *Non aliquis homo non est sapiens*,

§. 205. *Schol.* Atque de his affectionibus plura addere supervacaneum existimamus. In hac enim nostra tempestate, in qua a Scholis exulant Sophystarum disputationes, sat est tantum meminisse illarum; de illis vero agere, non solum inutile foret, sed etiam molestum. Ad aliam proinde nostrae Logicae theoreticae partem explanandam properamus.

LOGICÆ THEORETICÆ

PARS III.

De Ratiocinio, atque Argumentatione.

CAPUT I.

De Ratiocinii natura.

§. 216. *Def.* 1. *Ratiocinium*, sive *ratiocinatio est illa actio mentis, quae*, ut iniquit Tullius (Lib. IV. q. Acc. C. 4.) *ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit*; seu clarius: *est illa mentis actio, qua comparatis duobus judiciis notis, tertium elicit antea ignotum.*

§. 217. *Coroll.* Ratiocinii ergo necessitas ex eo enascitur, quod nequeamus plerumque duarum idearum relationem inter se, statim videre. Tunc enim cogimur, ideam quamdam tertiam assumere, ut ex cognita duarum illarum relatione cum tertia, inde duarum ipsarum intelligamus relationem inter se. Primo intuitu, Ex. gr. 1 non video relationem, quae est inter *animam humanam*, et *immortalitatem*, assumo tertiam ideam *spiritualitatis*, et comperio: utrasque cum illa convenire; quare legitime infero, immortalitatem animae quoque convenire, hoc modo:

1. *Anima humana est substantia spiritualis;*
2. *Sed substantia spiritualis est immortalis;*
3. *Ergo anima humana est immortalis.*

§. 218. *Coroll.* In quovis itaque ratiocinio tres ideae esse debent, et totidem judicia: in quorum primo

comparatur datarum idearum cum tertia, quae appellatur, *idea media*; in secundo comparatur datarum idearum altera cum eadem tertia; in tertio autem judicio, duae datae ideae conferuntur inter se, seu relatio inter datas ideas deducitur ex relationibus ipsarum singularum cum idea media, cognitis in duobus judiciis praecedentibus.

§. 219. *Animad.* Duo judicia praecedentia, a Logicis appellantur *ratiocinii antecedentia*; judicium vero tertium, quod ex duobus illis infertur, dicitur *consequens*; ipsa vero deductio consequentis ex antecedente, expressa per particulas *ergo*, *quare*, etc. *consequentia* vocatur. Itaque in adducto exemplo (§. 217.), duo illa judicia 1. *Anima humana est substantia spiriturlis*; 2. *Substantia spiritualis est immortalis*, antecedentia ratiocinii dicuntur; judicium vero illud: *Anima humana est immortalis*, dicitur; *consequens*; ipsa vero deductio expressa per particulam *ergo*, *consequentia* vocatur.

§. 220. *Coroll.* Distinguendum igitur est *consequens* a *consequentia*. Fieri enim potest, ut consequens sit verum, at falsa consequentia; si nimirum consequens ex antecedentibus, non rite deducatur.

§. 221. *Coroll.* Itaque vis tota ratiocinii in eo posita est, ut consequens fluat ex antecedente tamquam affectus ex caussa sua. Id si desit, licet consequens sit verum, ratiocinium nihilominus erit ineptum, sicuti sequens: 1. *Jacobus fuit filius Zebedaei*; 2. *Joannes fuit filius ejusdem Zebedaei*, 3. *Ergo Jacobus, et Joannes fuerunt Christi Discipuli*; [illegible] est consequens, nam re vera isti fratres, [illegible]; sed falsa est consequentia, seu deduct[illegible] ex principiis; quia ex quo Jacobus, [illegible] rint ambo filii Zebedaei, non recte infertu[illegible] Christi Discipulos.

§. 222. *Schol.* Quia vero omnino fieri nequit, ut consequens verum fluat ex antecedente falso, cum evidens sit, non posse verum contineri in *falso*, et ex *falso* oriri tamquam effectus ex caussa sua, profecto ad rectum, et numeris omnibus absolutum ratiocinium illud praeterea requiritur, ut ejus principia vera sint.

§. 223. *Animad.* 1. Cum itaque tota ratiocinii vis sita sit in bona, vel mala terminorum connexione, atque illatione, profecto si negari, aut concedi ultima propositio debeat, dicatur semper *nego*, vel *concedo consequentiam*, non consequens; negatur quippe, vel conceditur bonam, aut malam esse consequentis deductionem ex principiis, ut in allato exemplo (§. 221.); in quo licet verum sit consequens, negatur tamen consequentia; quia est falsa. Cum vero ultima propositio distingui contingerit, tunc dicere oportebit, *distinguo consequens*, non *consequentiam*, quia haec est tantum nota illationis, nec proinde veritatis, aut falsitatis capax, ut distingui possit.

§. 224. *Animad.* 2. Et quoniam insuper legitimum, optimumque ratiocinium pendet unice a veritate principiorum, et connexione consequentis cum principiis (§. 221.), ita quicumque prompte, et expedite de re quapiam vult ratiocinari, haec duo habere debet; 1. nempe facultatem inveniendi principia, seu medias ideas ad detegendam veritatem quaesitam idoneas; et 2. facultatem rite deducendi consequentias ex positis principiis.

§. 225 *Animad.* 3. Et quod attinet ad facultatem inveniendi principia, nulla, hoc loco, aptior regula tradi potest ad ratiociniorum nostrorum invenienda principia, quam serio binis ideis attendere, quarum relationem quaerimus, easque omni ex parte versare; tum, et cum fontibus rei, de qua agitur, propriis conferre. Ita quippe excitabuntur ideae affines, atque adeo aptae ad quaesitam relationem detegendam. Atque hac methodo inveniemus, ex. g., mediam ideam ad probandum, Petrum esse animal rationale. Evolvo nempe ideas *Petri*, et *animalis rationalis*, atque invenio *Petrum esse hominem*, atque ideam animalis rationalis convenire homini, unde et concludo, eam quoque Petro convenire; Quare ita ratiocinium conficio: *Omnis homo est animal rationale*; *Atqui Petrus est homo*; *Ergo Petrus est animal rationale*.

§. 226. *Animad.* 4. Ut autem facultatem nanciscamur deducendi justam consequentiam ex principiis,

in quo tota ratiocinandi ars consistit, oportet, ut 1. Ideae, circa quas ratiocinando versamur, sint clarae; 2. Ut judicia, quae de ideis ipsis feruntur sint et ipsa evidentia; scilicet perspicua sint ratiociniorum nostrorum principia; 3. sint haec principia ordinate disposita; et 4. nihil ex ipsis deducatur, nisi quod sponte sua consequatur, sitque cum ipsis principiis necessario connexum.

§. 227. *Schol.* Ratiocinium vel est *affirmativum*, vel *negativum*; item vel *particulare*, vel *universale*, Prout consequens, ex cujus natura suam desumit denominationem, fuerit affirmativum, vel negativum; particulare, vel universale.

Ratiocinii principia.

§. 228. Porro tam negativi, quam affirmativi ratiocinii quaedam sunt generalia principia fundamentalia. Et quidem affirmativum ratiocinium his duobus innititur fundamentis. *1. Quae conveniunt cum alio tertio, conveniunt inter se;* Seu, ut Scholae loquuntur: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. 2. Quidquid affirmatur de idea universali secundum totam suam extensionem acceptam; affirmari etiam debet de singulis partibus sub ipsa contentis.* Atque hoc principium in Scholis vocatur: *Dictum de omni.* Negativum quoque ratiocinium, duo itidem habet principia. *1 Quae uni tertio non conveniunt, nec etiam inter se conveniunt. 2. Quidquid negatur de idea universali sumpta secundum integram, et totam suam extensionem, et latitudinem, negatur etiam de quovis alio sub ipsa contento.* Verum haec principia locum tantum obtinent, et vera sunt, si sermo sit de convenientia *identitatis*, *aequalitatis*, *similitudinis*, *coexistentiae*, non tamen si accipiatur convenientia *in amicitia*, *inimicitia*, *consanguinitate*, *excessu*: *attractione*, *positione*, *dependentiis*.

CAPUT II.

De variis argumentandi modis, et primo de Syllogismo.

§. 229. *Def.* 1. Si ratiocinium, quod intus in mente perficitur, sermonis ope, exterius exprimatur, tunc proprio nomine appellabitur *argumentatio*. *Est* itaque *argumentatio*, *Oratio pluribus propositionibus constans, ea ratione inter se dispositis, ut una ex alia consequatur, veluti effectus ex caussa*. Quod si haec adamussim ratiocinationi internae respondeat, scilicet uti haec tribus ideis, et tribus judiciis coalescit (§. 210.), ita illa tribus terminis, totidemque propositionibus expresse componatur, dicitur *Syllogismus*.

§. 230. *Def.* 2. *Sillogismus* ergo *est argumentatio tres terminos, totidemque propositiones complectens, quarum quae ultima est, ex prioribus consequitur, tamquam effectus ex caussa*, uti sequens.

1. *Qui odit Fratrem suum homicida est*; (1. Joan. Cap. 18.)
2. *Sed Petrus odit Fratrem suum*;
3. *Ergo Petrus homicida est*.

In ea enim sunt tres termini, scilicet *odium fratris*, *homicida*, *Petrus*, et tres propositiones; quarum prima exprimit relationem convenientiae, *homicidae* ad *odio habentem Fratrem*; secunda inter *Petrum*, et *odio habentem fratrem*; 3. quae necessario ex prioribus prodit, continet itidem relationem convenientiae *homicidae* ad *Petrum*.

§. 231. *Schol.* 1. Duae priores syllogismi proposiones dicuntur *praemissae*; et prima quidem peculiari nomine dicitur *major*, secunda *minor*, tertia, quae ex duabus infertur *consequens* appellatur; ipsa autem deductio, vel connexio relationis cum praemissis, expressa per particulas *ergo*; *quare*, *igitur*, *itaque*, *consequentia* dicitur, (§. 161.).

§. 232. *Schol.* 2. Ex terminis quoque syllogismi, duo, qui in praemissis conferuntur cum tertio; uti, *homicida*, et *Petrus* (§. 230.), dicuntur *termini extremi*, seu *extrema*; sunt namque extrema Conclusionis; tertius vero, cujus ope comparatio instituitur, uti: *qui odit fratrem*, *medius terminus*, seu absolute *medium*, appellatur.

§. 233. *Animad.* 1. Esto autem in quovis syllogismo tres propositiones esse debeant (§. 230.), eae tamen ad duas reduci possunt, si praemissarum altera conclusioni adnectetur per particulam vel conditionalem *si*, vel caussalem *quia*. Ita in hoc syllogismo:

1. Omne corpus est grave;
2. Sed aer est corpus;
3. Ergo est gravis;

tres propositiones reducuntur ad duas, vel adjungendo minorem conclusioni per particulam conditionalem *si*, uti:

1. Corpus est grave; Ergo
2. Si aer est Corpus, est gravis;

vel includendo majorem in Conclusione sub eadem particula; uti:

1. Aer est corpus; Ergo
2. Si corpus est gruve, aer est gravis;

Vel connectendo minorem conclusioni per caussalem:

1. Corpus est grave;
2. Quia ergo aer est corpus, est gravis.

Vel majorem conclusioni adnectendo per eamdem caussalem; uti:

1. Aer est corpus:
2. Aer ergo est gravis, quia corpus est grave.

Potest insuper syllogismus unica propositione conditionali, vel caussali compleri, quae tribus aequivalet; veluti sequens.

Si aer est corpus, et corpus est grave, aer est gravis;

vel etiam:

Quoniam corpus est grave, et aer est corpus, est gravis.

Haec sedulo observanda sunt: etenim in communi loquendi ratione, saepissime ad laudatas formas ratiocinia nostra componere solemus.

§. 234. *Animad.* 2. Duo insuper in quolibet syllogismo consideranda sunt; *materia* scilicet, et *forma*. Et materia quidem duplex est *proxima*, et *remota*.

§. 235. *Def.* 2. Syllogismi *materia remota*, sunt *termini*; *proxima*, *propositiones*.

§. 236. *Def.* 3. *Forma syllogismi est debita extremorum combinatio, et propositionum dispositio*; Atque ea etiam duplex est; aut enim 1. respiciet materiam proximam syllogismi, et dicitur *modus*; vel remotam, et dicitur *figura* (a).

§. 237. *Schol.* Ad legitimum itaque, et absolutum syllogismum duo requiruntur; 1. ut propositiones omnes, quibus constat, verae sint; 2. ut consequens ex antecedente rite deducatur Quare si propositio aliqua falsa in eo invenitur, syllogismus peccare dicitur *in materia*; si vero falsa est consequentia, syllogismus vitio laborabit *in forma*.

§. 238. *Schol.* Pro syllogismorum optima constructione, et forma multas Regulas tradidere Scholastici. Attamen quoniam pleraeque ex illis aut inutiles prorsus sunt, aut parum solidae, si ad omnes casus extendantur, propterea illis praetermissis, Philosopho nostro hos tantum praecipimus.

(a) De syllogismorum figuris, et modis multa, nedum apud Veteres, sed et apud Recentiores Scholasticos pertractata inveniuntur. Quoad nos, ea praeterire putamus. Nullus enim ferme invenire est, hac nostra tempestate, qui dum syllogismos conficiat, in eo animum intendit, uti in *Barbara* potius, quam in *Fresisomorum* eos procudat. Legantur, si placet, apud a Brixia Log. P. III. Sect. 3.

CANONES.

I. *Tres tantum sunto in syllogismo termini, nec plures, nec pauciores; iidemque, ut omni ambiguitate liberentur; eodem ipsissimo sensu, eademque cum extensione semper usurpentur, omnem industriam, diligentiamque adhibeto.*

II. *Medius terminus numquam conclusionem ingreditor*: Monstruosum enim esset, caussam in effectus constitutionem immisceri.

III. *Non sit plus, minusve in conclusione, ac fuit in praemissis*; Nam quatuor inde exoriuntur termini, quod est contra syllogismi naturam (§. 231. et Can. 1.).

IV. *Relationes inter extrema, et medium clarissime exprimito; ipsasque praemissas ita ordinato, ut extremorum relatio clare pateat, atque in iis facile cerni possit; et ab ipsis erui. Et ut necessario, et quae, veluti sua sponte consequatur ex praemissis, deducatur conclusio.*

§. 234 *Animad.* Ut autem conclusio ex praemissis recte deducta censeri possit, duo haec requiruntur; 1. ut in altera praemissarum ipsa contineatur; 2. ut per alteram praemissarum, in illa contineri ostendatur. Alterum horum si desit, vitiosa, atque illegitima consequentia, seu illatio censenda est. Ita falso concluderet sequens sophisma:

1. *Non omnes quod ego sum*;
2. *Ego sum homo*;
3. *Ergo tu non es homo.*

Nam medius terminus in majori: *quod ego sum*, non continet attributum conclusionis *homo*, qui in ea universaliter sumitur; neque minor illud in illa contineri declarat; quia in ipsa, *homo* sumitur singulariter. Optime vero concluderet si attributum *homo* in conclusione singulariter sumeretur, pro eo scilicet homine: qui *ego sum.* Quare optima est forma in hoc syllogismo.

1. Deus vult, ut quod bonum est faciamus.
2. Sed diligere inimicos est bonum;
3. Ergo vult Deus, ut inimicos diligamus.

Etenim vocabulum *bonum*, in majori propositione continet *inimicorum dilectionem*, quemadmodum ex minori quam clarissime patet.

§. 240. *Schol.* Porro illa propositio praemissa, quae conclusionem continet, appellatur *continens*; quae vero eam declarat *exponens*, seu *explicativa* vocatur. Et quidem in syllogismis affirmativis, propositio *universalis* debet haberi pro continente; pro exponente vero minus universalis. In negativis vero propositio *negativa*, usurpari debet pro continente; pro exponente autem *affirmativa*.

CAPUT III.

De Syllogismo simplici, et composito.

§. 241. *Def. 1. Syllogismus simplex est ille, cujus praemissae sunt propositiones simplices.*

§. 242. *Schol. Syllogismus* hujusmodi duplex distinguitur; alius nempe est *de termino communi*, ut aiunt; alius *expositorius.*

§. 243. *Def. 2.* Syllogismus *de termino communi* dicitur ille, in quo una saltem praemissarum est universalis; ut hic:

1. Omnis substantia spiritualis est immortalis;
2. Sed anima humana est substantia spiritualis;
3. Igitur anima humana est immortalis.

§. 244. *Def. 3. Syllogismus expositorius* est ille, cujus omnes propositiones sunt singulares, ut iste:

1. Cain fuit filius Adae;
2. Abel fuit filius Adae
3. *Igitur Cain, et Abel fuerunt fratres.*

§. 245. *Def.* 4. *Syllogismus compositus* dicitur ille, cujus alterutra praemissarum est propositio composita.

§. 246. *Schol.* Est autem triplex; scilicet 1. *conditionalis*, sive *hypotheticus*; 2. *copulativus*; et 3. *disjunctivus*.

§. 247. *Def.* 5. Syllogismus conditionalis est ille, qui majorem habet propositionem conditionalem (§. 141.); uti sequens.

1. Si diligeretis proximum, non gauderetis de malo ipsius;
2. Atqui gaudetis de malo ipsius;
3. Ergo proximum non diligitis.

§. 248. *Animad.* Ut hic syllogismus recte concludat, oportet 1. ut a positione antecedentis concludatur positio consequentis; et 2., ut a remotione consequentis, remotio antecedentis deducatur. Unde fallunt si vel a negatione antecedentis ad negationem consequentis, vel a positione consequentis ad positionem antecedentis fiat illatio. Hinc male procedit sequens: *Si oras, non peccas; sed non peccas; Igitur oras.* Cum namque in propositione conditionali consequens contineatur in antecedente, ab eoque dependeat, et consequatur; Cumque veritas conditionalis posita sit in connexione antecedentis cum consequente, et dependentia consequentis ab antecedente; si verum antecedens, verum erit consequens, et e contra, si falsum erit consequens, falsum quoque erit antecedens, juxta illud axioma: *Posito antecedente, ponitur consequens, ablato consequente, tollitur antecedens.*

§. 249. *Def.* 6. Syllogismus copulativus est ille, in quo major habet duas simul propositiones copulativam, et negantem, quarum unam minor affirmat, alteram conclusio negat: uti sequens.

1. Non potest Mundus esse contingens, et improductus;
2. Sed est contingens;
3. Ergo non est improductus.

§. 250. *Animad.* Ut hic syllogismus legitimus sit, et rectus, duo requiruntur; 1. ut propositio copulativa sit negans; et 2. ut una ipsius propositionis pars stabiliatur, ut altera reijciatur; vel è contra, una reijciatur, ut altera stabiliatur; quod tamen solum faciendum est, cum inter partes propositionis copulativae, nullum dari possit medium. quare non rite se habet sequens syllogismus:

1. *Nemo potest dormire simul, et studere;*
2. *Non dormis;*
3. *Igitur studes.*

Nam inter somnum, et studium multi sunt medii status.

§. 251. *Syllogismus disjunctivus* est ille, cujus major est propositio disjunctiva: uti sequens:

1. *Vel in hac vita, vel in alia puniendi sunt impii;*
2. *Sed quidam impii non puniuntur in hac vita;*
3. *Ergo in altera vita puniendi sunt.*

§. 252. *Animad.* Ut hic syllogismus recte concludat, requiritur, 1. ut a positione unius partis procedatur ad remotionem aliarum; et 2., ut a remotione caeterarum, ad positionem unius. Uti:

1. *Avarus aut servit Deo, aut divitiis;*
2. *Atqui servit divitiis;*
3. *Ergo non servit Deo.*

Vel hoc alio modo:

1. *Avarus aut servit Deo, aut divitiis;*
1. *Sed non servit Deo;*
3. *Ego servit divitiis.*

Requiritur praeterea 4., ut ejus partes, revera sint disjunctivae, hoc est, ut nullum admittat medium, alias erit ineptus; uti sequens

1. *Quilibet homo aut est Atheus, aut Catholicus*
2. *Sed permulti non sunt Catholici;*
3. *Ergo sunt Athei.*

Apparet, hoc totum syllogismum peccare; nam atheismus, et Catholicismus non ita disjunctivi sunt, ut medium non admittant. Potest enim quis esse Lutheranus, Calvinista, Schismaticus, etc, quin sit vel atheus, vel Catholicus.

CAPUT IV.

De aliis argumentandi modis.

§. 253. *Animad.* Praeter syllogismum, alii argumentandi modi apud Philosophos sunt in usu, qui ad septem reducuntur; suntque 1. *Enthymema*; 2. *Epicherema*, 3. *Sorites*, 4. *Prosyllogismus*; 5. *Inductio*; 6. *Exemplum*, et 7. *Dilemma*.

§. 254. *Def.* 1. *Enthymema* est argumentatio duabus constans propositionibus; quarum prima dicitur *antecedens*, altera *consequens*; et fit, cum una praemissarum syllogismi reticetur. Ita Ex. g.

1. *Deus est Ens a se.*
2. *Ergo infinita pollet perfectione.*

In quo deest major: nempe: *Ens a se infinita pollet perfectione*; quae quoniam per se clarissima est, statim ab audiente percipitur.

§. 255. *Animad.* Ut haec argumentatio recte concludat, requiritur, ut vera sit propositio, quae reticetur; alias nullius erit roboris.

§. 256. *Def.* 2. *Epicherema* est argumentatio, in qua utraque, vel altera praemissarum syllogismi, probatione adjecta, fulcitur, ut majorem vim habeat; uti sequens:

1. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu; persequutionem patientur.*

Prob. *Cum Mundo enim, Daemone, et carne luctare debent.*

2. *Atqui vos pie vultis vivere in Christo Jesu;*

Prob. *Ad hoc enim Religionem Christianam, professi estis.*

3. *Igitur persequutionem patiemini.*

§. 257. *Animad.* Ut hoc argumentationis genus recte procedat, omnino necesse est, ut probationes, quae praemissis adjunguntur sint solidae, firmae, atque nullis exceptionibus obnoxiae.

§. 258. *Def.* 3. *Sorites*, seu *gradatio*, et Ciceroni *acervalis*, est argumentatio, in qua plures propositiones ita invicem connectuntur, ut praedicatum propositionis praecedentis sit subjectum subsequentis, donec subjectum primae cum ultimae attributo conjungatur. En exemplum.

1. *Mundus est Ens contingens*;
2. *Ens contingens est creatum*;
3. *Ens creatum habuit principium*;
4. *Ens, quod habuit principium, non habuit esse ab aeterno*;
5. *Ergo Mundus non habuit esse ab aeterno.*

§. 259. *Animad.* Ut hoc argumentum vim habeat, nulla in serie propositionum aut falsa, aut dubia inveniri debet; alias totum concidet: Ex falso enim antecedente verum consequens oriri nequit, nec in eo contineri (§. 222.).

§. 260. *Def.* 4. *Prosyllogismus* est argumentatio, in qua duo syllogismi ita uniuntur invicem, ut conclusio prioris sit major posterioris, cujus minor, *subsumpta* appellatur. Ita sequens:

Maj. 1. *Quod habet vim cogitandi est Ens simplex*;
Min. 2. *Sed Anima humana habet vim cogitandi*;
Concl. 3. *Ego anima est Ens simplex.*
Min. subj. *Sed ens simplex est incorruptibile*;
Concl. *Ergo Anima humana est in corruptibilis.*

§. 261. *Def.* 5. *Inductio* est argumentatio, in qua quidquid de singulis speciebus, vel individuis speciatim praedicatur, generatim quoque de toto genere, vel specie enunciatur. Ex. gr.

1. *Argentum, aurum, stamnum, plumbum, orichalcum, cuprum, ferrum igni injecta liquefiunt*;
2. *Ergo omne metallum igni injectum liquefit.*

§. 262. *Animad.* in inductione construenda, est summopere advertendum, ut completa partium numeratio fiat; alias ridicula erit. Nam verum esse nequit de toto, quod de singulis ejus partibus verum non est.

§. 263. *Def. 6. Exemplum* est argumentatio, in qua ex uno singulari, aliud singulare simile deducitur. Unde vocari solet argumentum *similitudinis, paritatis, analogiae*: uti sequens;

1. David pepercit Sauli inimico sibi infensissimo; imo eum dilexit;
2. Igitur et ego possum dimittere inimicis meis, eosque diligere.

§. 264. *Animad.* Haec argumentatio si est in materia necessaria, necessario quoque, et vere concludit; quando autem est in materia contingenti, nonnisi probabiliter. In materia necessaria erit si a pari instituatur; hoc est si duo singularia ad invicem in omnibus conveniant. Ita ex. g. *Petrus, quia est homo, percipit, judicat etc.; Ergo et Paulus similia praestat, quia est etiam homo.* In materia vero contingenti erit, si duo singularia, non in omnibus sed in aliquibus tantum conveniant; atque haec est proprie argumentio a simili, ut illa Ovid. (Trist: I. Eleg. IV.).

Scilicet ut fulvum spectatur ignibus aurum;
Tempore sic duro est inspicienda fides.

§. 265. *Def. 7. Dilemma* tandem est syllogismus disjunctivus (§. 232.), in quo ex singulis membris disjunctivae propositionis ducuntur conclusiones. Ita sequens.

1. Quivis mortalis aut servit passionibus, aut eas insectetur.
Si servit, miser est, et quia servit, et quia Domino servit, cui satisfacere nequit.
Si eas insectetur, rursus miser est, quia in semetipso continuum bellum cogitur sustinere;
2. Igitur quivis mortalis omnimodis miser est.

§. 266. *Animad.* Ut autem Dilemma non corruat, quatuor animadvertenda sunt; 1. Ut vera sit propositio generalis, quae toti convenit (licet ipsa quandoque reticeri possit. Hujus defectu, falsitatis evincitur illud Crysippi Dilemma, quo Reipublicae administrationem dissuadere conabatur. *Si quis in Republica administranda bene agit, offendit homines; Si male, offendit Deos. Ergo a Reipublicae administratione abstinendum.* Falsum hoc est: Nam propositio, quae reticetur: *Molestum est, quod sine offensione Deorum, aut hominum fieri nequit,* falsa est. Nam molestum non est homines offendere, si quin in Deum peccemus, vitari non possit. 2. Inter membra propositionis disjunctivae, a qua tota vis Dilemmatis pendet, nullum reperiatur medium. Quare falso concludit Dilemma illud a quibusdam impiis olim adductum, ut mortis metum auferrent:

Aut mens humana cum corpore perit, aut non.
Si perit, utpote sensu orbata, calamitatibus non poterit subijci.
Si non perit, beatior erit; corporeis namque vinculis soluta erit.
Quare mors timenda non erit.

Etenim post hominis mortem, alia esse poterit animae conditio; scilicet pro malefactis, aeternis poenis, atque cruciatibus addici. 3. Ut singulae conclusiones, legitime ex partibus disjunctivae propositionis colligantur; secus enim nullius erit momenti. 4. Tandem, ut Dilemma retorqueri non possit contra personam, quae illud proposuit. Ita laudatum Crysippi Dilemma, contra eum retorqueri posse ostendit Aristoteles, hoc modo:

Si Rempublicam male administres, placebis hominibus;
Si recte, Deo,
Itaque est administranda.

§. 267. *Coroll.* Caute igitur hoc argumentandi genere utendum est; ne in illud peccantes, adversus nos eadem arma ipsa vertantur, quibus adversarios offendere putabamus.

CAPUT V.

De Argumentatione fallaci, sive de Sophismatibus.

§. 268. *Animad.* Esto cuicumque, arte rite argumentandi optime instructo, facillimum sit argumentationes sive in materia, sive in forma peccentes (§. 238.) dignoscere, atque refutare; quoniam nonnulli adeo captiosi inveniuntur, qui sive malitia, sive ignorantia, sive rationis abusu, fallacibus argumentationibus, seu sophismatibus incautos non raro decipiunt, illa hic detegere opportunum existimamus, ut quoties Philosophus noster in illa incidat, et dignoscat, et refellat. Sunt autem Sophismata, quae sequuntur. *Petitio principii. Circulus visiosus. Ignorantia elenchi. Non caussa pro caussa. Vitiosa inductio. Fallacia accidentis. A dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Fallacia compositionis. Fallacia consequentis. Transitus de genere in genus. Argumentatio ab apparenti repugnantia. Argumentum ad ignorantiam. Argumentum ad hominem. Argumentum ab invidia. Argumentum multiplicis interrogationis Falso* tandem *supposito laborare.*

§. 269. *Petitio principii* est sophisma, quod committitur; quoties in argumentando, principii loco assumitur, quod est in quaestione. Ita petitionem principii committit Auctor Dictionarii Philosophici, qui ut ostendat, miraculum esse intrinsecus impossibile, hanc ponit miraculi definitionem: *Miraculum est violatio legum mathematicarum, divinarum, immutabilium, aeternarum*; hoc namque, quod ipse supponit, in quaestione est. Ad hoc Sophisma spectat argumentatio, qua vel probatur aliquid ex principio, quod licet in quaestionem praesentem non cadat, negatur tamen ab adversario, vel probatur ignotum per ignotum, incertum per aeque incertum.

§. 190. *Circulus vitiosus* est Sophisma, in quo impigitur quando Conclusio ex principio, et principium ex conclusione probatur. Hoc sophismate peccavit Aristo-

teles, dum sydera errantia ideo scintillare asseruit, quod a nobis distarent; et contra ideo a nobis ea quam maxime distare dixit, quod scintillent.

§. 291. *Animad.* Ut tamen circulus committatur, oportet, ut eadem ipsissima propositio ad alteram ostendendam assumatur; et simul probetur ex altera. Quapropter a circulo vitioso distat quam longissime *Regressus*, ut dicitur, *demonstrativus*, quo postquam ex noto effectu ignotam caussam analytice invenimus; tum ad effectum regredientes, quae de eo nota non erant, ex caussa Synthetice demonstramus.

§. 272. *Ignorantia elenchi* fit, quando aliud probatur, quam quod est in quaestione. Hoc sophisma commisit Epicurus, dum homines a metu mortis liberare satagens, sic, teste Lactantio (Lib. III. Cap. 17.), argumentabatur: *Quando nos sumus, mors non est; quando mors est, nos non sumus; mors ergo nihil ad nos. Quam argute*, ait laudatus Auctor de Epicuro; *nos fefellit! Quasi vero transacta mors timeatur, qua jam sensus ereptus est; ac non ipsum mori, quo sensus eripitur.*

§. 273. *Non caussa pro caussa* est sophisma, quod committitur quoties vera caussa alicujus effectus venditatur, quae revera illius caussa non est. Nihil hoc sophismate frequentius admittitur. Quo enim difficilius est genuinas rerum caussas cognoscere, eo liberius de iis homines pronuntiant. Hinc passim tribuere audimus certo planetarum aspectui caussam sterilitatis, vel pestilentiae; Certo cuidam syderum influxui malas hominum inclinationes; calamitates, et miserias fato.

§. 206. *Vitiosa inductio* est, quando generalem propositionem concludimus ex paucorum singularium enumeratione; vel cum necessario tribuimus omnibus, quod contingenter aliquibus tantum inesse conspicimus. Hoc Sophismate peccant illi, qui ex quo videant nonnullos ex Clericis non recte vivere, omnes Ecclesiasticos viros despectui habent.

§. 275. *Fallacia accidentis* fit vel 1. quando absolute tribuitur rei, quod nonnisi ex accidenti ipsi convenit: Uti si quis diceret. *Quod nocet malum est; Sed*

vinum nocet; Ergo malum est; vel 2. cum a substantia ad ejus accidens fit argumentatio: Uti: *Quidquid Petrus emit, comedit, sed emit pisces crudos; ergo pisces crudos comedit.*

§. 276. *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Admittitur hoc sophisma quando simpliciter, et sine restrictione ut verum accipitur, quod nonnisi quodam respectu dumtaxat verum est. Hoc sophismate peccabant Antropomorphitae, qui ex Dei similitudine, quae in homine est, colligebant, Deum humana membra reapse habere.

§. 277. *Fallacia compositionis* peccamus quoties conjunctim sumimus, quae seorsim spectanda sunt. Fallacia vero divisionis, quoties dividimus quae conjungenda sunt. Ita ex. gr. haec propositio: *Petrus, qui est atheista potest esse Christianus*, verissima est; si *atheismus*, et *Christianismus* divisim accipiantur. Siquidem potest Petrus, Dei gratia adjutus, atheismum deserere, atque Christianam Religionem amplecti; At vero si inde colligas, *Petrum esse posse simul atheistam, et Christianum*, peccas fallacia compositionis. Rursus vera est quoque haec altera propositio: *Petrus quamdiu manet atheista non potest esse Christianus*; quod si concludas: *Petrum atheistam numquam fieri posse Christianum*, committis fallaciam divisionis.

§. 278. *Fallacia consequentis est*, cum ex propositione, quae conversim est falsa, ita concluditur, ac si esset vera: Uti si quis ita argumentaretur: *Quod perit, ortum est; sed mens humana orta est; Ergo mens humana perit.* Nam vera est propositio major; at si conversim accipiatur, veluti si diceretur: *quod ortum est, perit*, est falsa; Non enim omnia quae orta sunt, interitui subjacent.

§. 279. *Transitus de genere in genus* est sophisma, quod committitur, quando ad rem diversi generis vel ordinis tranfertur, quod in uno tantum genere, aut ordine verum est; veluti si quis, ex. g., ex quo duo corpora sint aequalia, concluderet esse similia.

§. 270. *Argumentatio ab apparenti repugnantia*; seu rectius, ab incomprehensibilitate rei ad repugnantiam

absolutum admittitur, quando quod comprehendi non potest, veluti repugnans traducitur. Hoc argumentandi genus Deistis solemnissimum est, qui omnia intra limites humanae intelligentiae comprehendere volentes, Nostrae Sacrosanctae. Religionis mysteria repugnantia venditant, quia humana ratione non comprehenduntur. Longissime namque distant *incomprehensibilia*, et *repugnantia*: Comprehendi a nobis nequeunt, quorum ideas non habemus; at ea, quorum ideis destituimur, omnino ratione statuere non possumus, sint ne possibilia, vel impossibilia.

§. 281. *Argumentum ad ignorantiam* est ridiculum ac puerile sophisma, quo nostram sententiam, veram esse contendimus, quod alter nesciat illam valide confutare, vel propriam illi adversam, invictis rationibus statuere.

§. 282. *Argumentum ad hominem* ducitur ex principio ab adversario admisso, sive illud sit verum, sive falsum. Argumentatio isthaec in sophisma degenerat, si procedat ex principio falso, licet apud adversarium vero, et adhibeatur ad evincendam falsitatem.

§. 283. *Argumentum ab invidia* est pravum, et iniquum sophismatis genus, quo ut facilius ducatur de adversario triumphus, in ipsum, vel ejus sententiam, odium malitiose concitatur.

284. *Multiplici interrogatione argumentari* est sophisma, in quod impigitur, quoties aliqua propositio adhibetur, quae unicam responsionem tantum exigere videatur, cum tamen plures revera exigat. Hinc si quis quaereret, *an Titius Cajum solus occiderit*, *an socios habuerit*, hoc sophismate peccaret; unica namque propositione duo quaesita sunt, quae ab invicem distant: aliud est enim quaerere: *an Titius Cajum occiderit*, et aliud *an socios in homicidio patrando habuerit.* Duplicem ergo responsionem adhibere debemus, nempe 1. Nec Cajum occidit solus; 2. Nec socios habuit.

§. 285. *Falso supposito laborare* tunc aliquis dicitur, cum propositionem aliquam enunciat, cujus subjectum pro eo supponitur, pro quo, nisi cum falsitate supponere nequit; ut si quis diceret: *lapis sensitivus vivere potest.* Etenim subjectum illud *lapsis*, pro sensiti-

tivo a dicente supponitur, cum revera talis non sit, nec esse possit.

LOGICÆ THEORETICÆ

PARS IV.

De Methodo.

CAPUT I.

De Methodo generatim, ejusque divisione.

§. 286. *Def. 1. Methodus est ordinata quaedam ratio preceptiones nostras, judicia, et ratiocinia rite disponendi, ad veritatem facilius inveniendam, inventamque aliis manifestandam.*

§. 287. *Schol.* Duplex itaque distinguitur Methodus; una nempe, quae ad veritatem inveniendam adhibetur, et dicitur Analytica; altera quae ad veritatem docendam, et dicitur Synthetica, quibus addi solet *Methodus studendi*, et *Methodus disputandi.*

§. 288. *Animad.* Cum methodo veritatem invenire satagimus, non de quacumque veritate sumus solliciti, sed potissimum de veritate, quae dicitur certa.

§. 289. *Def. 2. Veritas certa nobis est illa, cui mens ita adhaeret, ut nullam habeat de ejus opposito formidinem. Certitudo* namque *nihil est aliud, quam adhaesio alicui veritati omnino firma, quae omnem quoque errandi timorem prorsus excludit.*

§. 290. *Schol.* Triplex autem est certitudo; *Metaphysica* nempe, *Physica*, et *Moralis.* Prima est illa,

quae oritur ex perceptione relationis praedicati cum subjecto omnino necessariae, ita ut oppositum impossibile sit, et repugnans. Secunda vero oritur ex perceptione relationis ita necessariae, ut oppositum quidem fieri possit, sed tamen physicis Naturae Legibus adversatur. Tertia tandem oritur ex consensu hominum fide dignorum, quibus absque impudentiae nota, fides denegari nequit. Metaphysice certus sum: *totum esse majus sua parte*; Physice: *Corpus non suffultum cadere*; moraliter tandem: *Romulum regnasse Romae*.

§. 291. *Animad.* Quoniam, ut quisque concedit, finem sine mediis consequi est impossibile; bona Methodus tum inveniendi, tum docendi veritatem, necessario exigit, ut ea omnia removeantur, quae veritatis inventioni obstant, et media adhibeantur apta, quae viam ad veritatis inventionem rectam faciunt. De illis hoc in Capite, de istis in sequenti, quae scitu necessaria sunt, exponemus.

§. 292. *Schol.* 1. Et quidem, quae veritatis inventioni obstant: haec praecipue sunt; nempe *mentis imbecillitas*; *laboris impatientia*; atque *subsidiorum inopia*. Et primo quidem mentis imbecillitas magnum impedimentum est inveniendae veritatis. Cum namque ad veritatem inveniendam requiratur, ut perceptiones nostrae, judicia, et ratiocinia rite disponantur. (§. 286.), Cumque a mente imbecilli sive in intelligendo, sive in recordando id frustra speretur; profecto, qui mente imbecillis est, ad inveniendam veritatem non perveniet; aut si ad aliquam, nonnisi longo tempore, atque labore improbo.

§. 298. *Schol.* 2. Alterum inveniendae veritatis obstaculum *est impatientia laboris*. Sit namque quantacumque bona mens adolescenti, atque intellectus acumen, nisi studio, et labore exerceantur, ad veritatis inventionem pervenire non dabitur; Unde illud Poetae: *Sine labore nemo Musarum scandit ad arcem*.

§. 194. *Schol.* 3. Ex subsidiorum tandem inopia fit, ut ad veritatis inventionem non perveniatur. Cum namque ad id et optimi Magistri, et libri, et alia ad vitam ducendam necessaria requirantur, fieri omnino

non poterit, ut qui his mediis careat, ad veritatem inveniendam pertingat.

§. 295. *Animad.* Quae autem hic de obstaculis inveniendae veritatis dicta sunt, non ita volumus accipienda quasi, qui illa habeat, nullam prorsus veritatem consequi possit; sitque veluti nuda tabula, omnis cognitionis expers. Notum quippe est, neminem inveniri, qui adeo imbecillis sit mentis, ut nihil prorsus sciat, et certo cognoscat; nullumque esse, qui a labore abhorrens, aut subsidiis destitutus, in errore semper, atque falsitate, nec non omnimoda ignorantia versetur. Tirones Philosophos, hic edocemus, quae obstaculo sunt, ad veritatem, prout Philosophos decet, inveniendam.

§. 296. *Def.* 3. Ex his quidem obstaculis, cum veritas lateat, oritur in homine error, nempe *assensio propositioni falsae, tamquam si esset vera*; Atque hic error si committitur in judicando, peculiari vocabulo dicitur *praejudicium*. *Est* autem *praejudicium judicium praecipianter, et sine debita maturitate latum.*

§. 297. *Schol.* 1. Porro ex triplici fonte potissimum oriuntur praejudicia; ex *Sensatione* nempe, ex *Phantasia*, et *ex Auctoritate.* Et primo quidem ex *sensatione.* Nam sensus omnes externi *colores*, *sapores*, *odores*, *sonos*, *frigus*, *calorem*, caeterasque sensibiles qualitates, veluti reipsa corporibus inexistentes referunt, quae interim non sunt, nisi sensationes nostrae; in corporibus autem, sunt tantum vires, eas sensationes in nobis excitandi. Praeterea juxta oculorum relationes, corpora extra nos videmus, non autem in imaginibus intra nos depictis. Sol bipalmaris est diametri; stellae fixae lucernulas vix mole excedunt. Sol ipse, fixae, ac corpora caelestia omnia aut aeque, aut fere aeque distant a nobis; quae omnia falsissima sunt. Quare plurium errorum sensus caussa esse possunt, ac reipsa plerumque sunt, si ipsorum relationes, citra rationis examen excipiantur.

§. 298. *Schol.* 2. Ex Phantasia quoque errores, iique putidissimi, ac perridiculi proveniunt. Mirum dictu est, quantum haec possit; in iis praecipue, qui vel nulla, vel exigua ratione utuntur. Plerumque enim ac-

cidit, ut multa nobis, tamquam certissima persuadeamus, quae tamen ridicula sunt, et absurda; veluti existentia nobis exhibeamus, quae tamen nullibi, nisi in nostro cerebro existunt. Cum namque imaginationes a sensationibus non distinguantur, nisi quia minus illae, haec magis vividae sunt, atque perspicuae, si contingat ut imaginatio adaequet sensationis vivacitatem, atque claritatem, illa pro sensatione habetur. Sed de Phantasia, ejusque viribus legatur Ludovicus-Antonius Muratorius in libello, cui titulus: *Della forza della fantasia.*

§. 299. *Schol.* 3. Auctoritas tandem sive magistrorum, sive parentum, sive populi, erroribus, ac praejudiciis animos nostros onerant; Ut enim ajebat Eleanthes: *Judicium sapiens et justum, non habet ullum vulgus*; et Magistri non pauci, cum Platone, dici possunt *seductores, qui quasi praestigiis quibusdam utentes, adolescentulos procul a veritate rerum adhuc existentes, decipiunt.* Praejudicia quippe parentum, indoctorum magistrorum errores, vulgi superstitiones, et opiniones a veritate nimium aberrantes, educatione, et conversatione transeunt in pueros, qui et ratione ad discernendum destituuntur, et sunt veluti mollis cera, in qua quidvis facile impresseris; quibus imbuti, etiamsi adolescant, et senescant, nihil admittendum putant, quod praeconceptis illis falsis opinionibus adversari sentiunt; nihil verum, nisi quod illis consentit.

§. 300. *Schol.* Non satis foret utile inveniendae veritatis obstacula aperuisse, nisi et media ad illa, quantum fieri potest, auferenda proponerentur. Ut id ergo praestemus, tironi Philosopho, sequentes praescribimus.

CANONES.

I. *Quae mentis captum superant, ne temere inquirito. Oleum namque, et operam perdes.* Notum est quippe illud Venusini praeceptum:

> *Tu nihil invita dices, faciesve Minerva.*
> *Sumite materiam vestris, qui scribitis aequam*
> *Viribus, et versate diu quid ferre recusent,*
> *Quid valeant humeri.*

II. *Assiduo studio, atque attenta meditatione in vero inveniendo insistitor. Laboris patiens, corporeis voluptatibus valedicito.* Nam, ut ait citatus Poeta:

> *Qui cupit optatam cursu contingere metam,*
> *Multa tulit, fecitque puer; sudavit, et alsit,*
> *Abstinuit venere, et vino.*

III. *Sapientiae studium sub optimorum praeceptorum disciplina, recta methodo suscipere curato.*

IV. *Si vivida admodum phantasia polles, curato ne secundum illam judices. Mentem propterea indulgere phantasticis cogitationibus, aut nimium extra sensus vagari, ne conceditor.* (§. 52. Can. 3.).

V. *De nulla re quidquam certi statim pronunciato, sed dum mente vales, tamdiu judicium suspendito, donec re serio examine perspecta, et discussa, menti certitudo affulserit. Quid enim,* aiebat Tullius, *tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate, atque constantia, quam quod non satis explorate perspectum sit, et cognitum, id sine ulla dubitatione defendere.* ?

CAPUT II.

De mediis ad veritatem certam perveniendi.

§. 3*10*. *Animad.* Media ad veritatem assequendam quinque praecipue sunt; videlicet 1. *Intimus sensus uniuscujusque*; 2. *Intelligentia*; 3. *Sensus externi*; 4. *Auctoritas*; et 5. *Ratiocinium.* Et quidem quae in nobis ipsis interne peraguntur, hoc est in ipsa nostra mente, nonnisi per intimum sensum, vel conscientiam cognosci possunt. Quae sensibus externis subsunt, nimirum corpora, quae neque prae nimia distantia, sensuum sphaeram praetergrediuntur, eorum proprietates, vires, affectiones, per sensuum experimenta, et observationes cognoscuntur. Abstracta omnia, et incorporea, intelligentia comprehenduntur. Ratiocinium vero supplet defectus sensationis sive internae, sive externae, et intelligentiae intuitivae. Multa namque immediate per conscientiam, per sensationem, per intelligentiam non deteguntur, ad quae eruenda opus est ratiocinio, experimentis internis, observationibus externis, axiomatibus purae intelligentiae, tamquam principiis superstructa. Denique per auctoritatem innotescunt facta, quibus ipsi non interfuimus, eaque omnia, quae neque cum natura rerum, neque cum ideis nostris a natura haustis connexionem habent. De intimo sensu, sive conscientia, sicuti etiam de intelligentia, sufficit pauca delibasse. De ratiocinio plura loquuti fuimus. Nonnulla de demonstratione, sensibus externis, atque auctoritate pertractanda supersunt.

§. 302. *Def.* 1. Connexio propositionis cum aliis, ut inde terminorum nexus clare pateat, dicitur *demonstratio*, quae jam definita fuit a nobis (§. 11.) per actionem, qua veritates aliae ex aliis, per legitimam argumentorum seriem deducuntur; et a multis non incongrue ita definitur: *Oratio uno, vel pluribus constans syllogismis, quorum propositiones sint evidentes, et nexus necessarius.*

§. *3o3. Animad.* Demonstratio unico poterit constare syllogismo, si hujus propositiones ita sint evidentes, talique nexu copulatae, ut alia probatione non indigeant. Quod si alterutra, vel utraque praemissa primi syllogismi non adeo evidens sit, ut rem plane absolvat, tunc pluribus syllogismis demonstratio constabit, usque dum ad syllogismum deveniamus, in quo utraque praemissa clara sit, atque perspicua.

§. *3o4. Coroll.* Ad essentiam ergo rectae demonstrationis duo necessario requiruntur; nempe 1. *Principia certa*; scilicet *Axiomata* (§. 185.), *Postulata* (§. 187.), *Nominum definitiones* (§. 194.), aliaeque propositiones per se notae; 2. *Legitima ipsorum connexio cum conclusione*; Alterum horum si desit, ipsa quoque evanescet demonstratio.

§. *3o5. Coroll.* Demonstrationem nullimode conficere possunt, qui aut nulla habent principia certa, aut principia illa cum conclusionibus recte connectere nesciunt; idque vel quia recte ratiocinandi regulas non didicerunt, vel quia iis uti nesciunt.

§. *3o6. Schol. Demonstratio* alia dicitur *a priori, a posteriori* alia.

§. *3o7. Def.* 2. ***Demostratio a priori est illa, in qua aliquid demostratur per suum principium; sive effectus per suam caussam ostenditur.*** Hac demostratione ostendimus, Mundum hunc, quem incolimus perfectissimum esse, perfectione finis. Id enim per quam facile eruitur ex infinita Dei sapientia, atque potentia.

§. *3o8. Def. 3.* ***Demonstratio a posteriori est illa, in qua caussa per effectum probatur***; uti cum Dei existentiam demonstramus ex effectibus, rebus nempe creatis, aspectabilem hunc Mundum componentibus.

§. *3o9. Schol.* Insuper demonstratio sive a priori sit, sive a posteriori, duplex est; ***directa*** nempe, sive ostensiva, et ***indirecta***, sive ***apogogica***. Prior est illa, in qua propositio aliqua vera dicitur; quia ex principiis directe, et continuo nexu sequitur. Secunda vero est illa, in qua propositio affirmatur vera, quia ex principiis, sequitur, propositionem contradictoriam esse impossibilem

falsam, et absurdam. Unde solet haec etiam vocari *reductio ad impossibile*, et *absurdum*.

§. *310*. *Coroll*. 1. Tota igitur vis directae demonstrationis in eo posita est, ut ex principiis id deducatur, quod in iis veluti continetur; Indirectae vero, ut ex principiis, contradictoriae unius falsitas eruatur, ut deinde altera contradictoria vera maneat.

§. *311*. *Coroll*. 2. Quandoquidem ergo demonstratio principiis nititur certis, ipsisque cum conclusione legitime, et rite connexis (§. 304.), patet quamcumque propositionem, rite demonstratam, esse certo veram, gaudere nempe certitudine metaphysica (§. 290.).

§. 312. *Def*. 4. Sensus externi, seu organa sensoria (§. 24.) dicuntur illae corporis humani partes, in quibus cum objectorum externorum impressiones fiunt, et ope spirituum animalium, ad cerebrum usque perducuntur, anima, ad earum perceptiones, atque sensationes determinatur.

§. 313. *Coroll*. Ad sensationem itaque duo requiruntur; scilicet 1. *impressio*, et *immutatio in organo sensorio*: et 2. *repraesentatio huic objecto conformis*. Atque proinde, dato, quod sensus omnia habeant ad sentiendum requisita, non fallunt; Quapropter nos non a sensibus, sed a judicio, quod anima praecipitanter fert, non raro fallimur.

§. 314. *Schol*. 1. Quod attinet ad requisita ad recte sentiendum, quatuor assignari solent; 1. nempe *organorum sensoriorum sanitas*, et *quies*. Cujus defectu quandoque objecta aliter ac revera sunt conspiciuntur: Ita icterici, objecta flava intuentur; itinerantes vident terras, Urbesque recedere. 2. *Inter objecta, et sensus juxta, et proportionata distantia*. Cujus defectu, res eminus positae, aut nullimode, aut nimis parvae conspiciuntur. Hinc Sol instar scutellae, et stellae quasi parvae lucernulae nobis apparent. 3. *Inter objecta et sensus nulla sit, diversi generis, medii interpositio*. Cujus defectu baculum rectum in aqua mersum, inflexum videmus; 4. *Mentis sanitas, ejusque objectorum propositorum attenta contemplatio*. Qua de re phrenetici, ebrii, et furiosi, quibus mens bona, et sana non est, permulta se

vel videre, vel audire, vel palpare affirmant, quae tamen prorsus falsa sunt, atque ridicula. Idipsum dic de sommiantibus, quibus attentio deest, atque reflexio.

§. 315. *Schol.* 2. Ut quantum fieri potest, homo sensibus externis recte utatur, illi sequentes proponimus, attente servandas, cautiones. 1. Si viderit se habere sensus aut debiles, aut infirmos, eos opportunis instrumentis armet; iis nempe, quae ad respectivum sensum spectant, sintque optima, alias nihil perficiet. 2. Si objecta sint posita in justa distantia, ea studeat perattente contemplari. Si namque attentio deest, objectorum externorum impressiones mentiuntur. 3. Si in rei alicujus examine observet, unum sensum non sufficere, plures, cum fieri potest, adhibeat. Corpus ex. gr. conspicio, quod vix oculo discernitur a pomo, recenter a planta avulso; ne fallar, odoratum, et tactum adhibeo. 4. Quod si pluribus sensibus uti datum non sit, saepius diversis temporibus, et locis observationem repetat. Fieri namque non tam facile potest ut decipiamur, quoties, debita cum attentione repetitae fuerint observationes; tunc enim constantem, atque uniformem experiemur sensationem; adeoque veram. 5. Si putet se aliquid experiri, aut videre, quod recte rationi manifeste adversatur, illud ut falsum respuat. Quod enim recte rationi manifeste repugnat, verum esse nequit: 6. Si videat alios sapientes, atque doctos homines, secum in sensatione aliqua convenire, eam uti veram amplectatur. Communis namque Sapientum consensus, signum certum est veritatis.

§. 316. *Schol.* 3. Quoties sensibus ad naturalia objecta extra nos posita attendimus, vel circa ipsa aliquid efficimus, *experiri* dicimur; ipsa vero sensuum applicatio rebus externis, vocatur *Experientia*; et cognitio, quae ex tali applicatione oritur, *cognitio experimentalis*, sive *a posteriori appellatur*. At de sensibus externis, quae dicenda supersunt, sermo peculiaris redibit in Physica. Pauca nunc da auctoritate subnectimus.

§. 317. *Def.* 5. *Auctoritas est vis illa, quam habet alterius dictum, vel scriptum ad persuadendum circa ea, quae ex nobis metipsis assequi nequimus.*

§. 318. *Schol.* Auctoritas non parit scientiam, uti demonstratio, et sensuum experientia, sed fidem. *Quod enim intelligimus*, ait Augustinus, *debemus rationi*; *quod credimus*, *auctoritati.*

§. 319. *Def.* 6. *Fides est assensus alicui propositioni praestitus, non propter perspicuam convenientiam, quam inter ejus extrema conspicimus, sed propter auctoritatem personae dignioris, illam testificantis.*

§. 320. *Schol.* Fides vel *Divina* est, vel *humana*, prout nempe vel Deus, vel homo aliquam testificatur propositionem; hinc et auctoritas, alia est *Divina*, *humana* alia. Et quia Deus utpote Ens perfectissimum, summa pollet sapientia, ut decipi omnino non possit; atque est summe verax, itaut non possit alios decipere, quoties constat propositionem aliquam esse a Deo revelatam, debemus ei firmissime adquiescere, atque assentiri; Dei namque auctoritas parit talem certitudinem, ut sine maxima illius injuria, ei contraire nequeamus. Et quia homo miseriis plenus, est mente imbecillis, atque affectibus subjacet, falli potest, ac fallere, propterea ejus testimonium, tunc solum inducit certitudinem, cum constat, ipsum revera in re aliqua affirmanda non fuisse deceptum, nec nos decipere voluisse.

§. 321. *Coroll.* Quare duo ad certitudinem, ex auctoritate habendam, necessario requiruntur. 1. Ut narrans talis sit, ut nec falli, nec fallere possit. 2. Ut certum sit, factum illud, quod narratur, ab eo fuisse assertum, qui nec falli, nec fallere possit.

§. 322. *Schol.* 1. Quonam autem pacto innotescere poterit, hominem in facti alicujus narratione, laudatis duabus pollere dotibus; ut nempe, nec ipse fuerit deceptus, nec nos voluerit decipere, difficile est recte, ut par est, nosse, atque determinare. Signa tamen aliqua a Criticis assignantur, quibus attendentes, dijudicare certo possumus, illa in narrante inveniri. Signa vero ista alia respiciunt ipsum narrantem; alia rem narratam; alia circumstantias personae narrantis. Et quidem quae narrantem respiciunt, ista fere sunt: 1. *Veritatis amor*, et *constans*, *atque perpetuum mendacii odium*; 2. *Doctri-*

na, *atque facti certa scientia*. 3. *Animi ingenuitas*, *et morum probitas*; 4. *Popularium rumorum abominatio*, *et veritatis diligens*, *atque probata inquisitio*. Quae vero rem narratam respiciunt, haec: 1. *quod narratur recte rationi non repugnet*; 2. *Divinae cognitae auctoritati non refragetur*. Quae tandem circumstantias respiciunt, ad haec reducuntur; 1. *Si narrans, quod narrat, propriis ipse oculis viderit*; *aut a viris doctis et probis, qui viderint, acceperit*. 2. *Si coevus fuerit, nullisque affectibus praeoccupatus*, *sed solo veritatis amore factum narret*. Quoties talia signa in homine factum aliquod narrante, inveniuntur, illius narratio certitudinem humanam moralem efficit.

§. 323. *Schol.* 2. Quae de mediis ad veritatem certam perveniendi usquemodo docuimus, clariora, et utiliora evadent, si sequentes observentur.

CANONES.

I. *Rem quampiam ad proprium fontem*, *ad quem spectat referto*; *neque unius fons proprios fines excedat*, *atque in alium intromittatur*, *diligenter curato*. Suos namque quaelibet scientia habet locos, ex quibus sua argumenta depromat; Metaphysica nempe metaphysicos, Physica physicos, Moralis morales.

II. *Inter ea quae sunt secundum rationem*, *contra rationem*, *et supra rationem adcurate distinguito*, *ne unum pro alio accipiens*, *in errores incidas*, *atque praejudiciis obruaris*. Nam quae sunt secundum rationem, ea sunt, quae ex principiis certis, atque evidentibus deducuntur; contra rationem, quae principiis certis, et evidentibus perspicue adversantur; denique supra rationem sunt quaecumque ideis nostris non continentur, neque propterea communibus principiis vera, vel falsa demonstrari possunt. Ita secundum rationem est, *Deum existere*; contra rationem *plures esse Deos*; supra rationem, *Deum esse Trinum in personis*.

III. *Si Metaphysicae certitudini physica refragetur*, *hanc ut falsam*, *atque apparentem habeto*; *Idipsum dicito*, *si haec Divinae auctoritati opponatur*.

IV. *Si certitudini Metaphysicae certitudo metaphysica adversetur, et Physica physicae, neutri adhaerendum est.* Verum namque, vero nequit opponi. Cum enim metaphysica certitudo, ex instituta legitima demonstratione procedat (§. 311.), fieri omnino non potest, ut quod ei adversatur sit certum. Cumque quod certitudini physicae adversatur, secundum naturae leges fieri repugnet (§. 291.), si aliquid physice certum rite demonstratum erit, oppositum esse nequit certum.

V. *Si Metaphysica certitudo Divinae auctoritati repugnet, putato aut illam esse apparentem, aut Deum revera non fuisse loquutum.* Verumtamen, si semel constet Dei revelatio, ita ut nullum de ea prudens dubium supersit; quidquid ratio contra obmurmuret, audienda non est; ipsamque, apparenti certitudine illudi putandum. Dum autem ita rationi nostrae contraimus, profecto rationi ipsi litamus. Est enim certissimum rationis principium: *tutius esse credere Deo, quam propriae rationi confidere.*

VI. *Si Physicae certitudini auctoritas humana adversetur, huic valedicito.* Quod enim indubia sensatione percipimus; oculis nempe conspicimus, et manibus palpamus, quin ulla vel ex parte sensuum, vel ex parte mentis timeatur deceptio, nequit non esse verum; et pro tali haberi, etiamsi omnes homines refragentur. Quod si factum aliquod narratur ab eo, qui plenam, fidem humanam meretur, et proinde certitudinem moralem indubiam facit, ei credendum est, licet factum ipsum naturae vires excedere videatur, aut ratione non comprehendatur. Plura namque evenire possunt praeter naturae vires, et quae humana ratio non attingit, quae interim verissima sunt. Ita constat, mortuos quosdam ad vitam fuisse revocatos, nec dubitare fas est, quin revera id evenerit, cum id ex testimonio irrefragabili, etiam ipsius auctoritatis humanae per quam firmissime comprobetur. Hoc autem Naturae leges excedere, humanumque captum, nemo negabit.

CAPUT III.

De veritate probabili.

§. 324. *Animad.* Probabile id dicitur, quod veritati quidem consensiens videtur, at formidinem de opposito non excludit; hoc est habet quaedam veritatis indicia, sed non sufficientia ad certitudinem (§. 289.). inducendam. Ejus abstractum dicitur *probabilitas.*

§. 325. *Def. 1. Veritas probabilis illa est, cui ita adhaeret mens, ut non omnem repellat formidinem de opposito.* Atque haec dicitur etiam *opinio.*

§. 326. *Animad.* Veritas probabilis suos gradus habet; quo magis enim ad certitudinem accedit, eo probabilior est; et quo magis a certitudine recedit, eo magis est improbabilis. Hinc enatae divisiones propositionis, seu veritatis probabilis, improbabilis, probabilioris, probabilissimae, prout nempe vel admodum pauca, vel nonnulla, vel multa, vel plurima habet certitudinis indicia, sed ad certitudinem non pervenientia; Hinc enatum *dubium*; suspensio nempe animi circa utramque contradictionis partem, quando scilicet pro utraque parte aequalia sunt certitudinis indicia.

§. 327. *Schol.* Dupliciter autem aliqua veritas dici potest probabilis; ***intrinsece*** scilicet, et ***extrinsece***. Probabilis intrinsece erit, si ejus probabilitas ex ipsamet rei, quam cognoscimus, contemplatione procedit; extrinsece vero, si ex scribentis, vel narrantis auctoritate derivatur. Insuper duplex distinguitur probabilitas, ***Physica*** nempe, et ***moralis***, sive ***historica***. Probabilitas physica locum habet in explicationibus phaenomenum Naturae, cum certa explicatio deest, seu cum effectus naturalis caussa, certo assignari nequit. Probabilis autem explicatio phaenomenum naturalium vel fit per ratiocinium probabile, vel per hypothesim. Ratiocinium Physicum probabile, triplici modo se habere potest. Vel enim ab evidentibus experimentis, et observationibus concludimus per connexionem minime necessariam; vel per connexionem necessariam ab experimentis, et ob-

servationibus alicui exceptioni obnoxiis ; vel tandem per connexionem tantum probabilem, ab experimentis et observationibus, quae probabilitatem et ipsae non excedunt. In primo casu erit probabilitas explicationis in ratione connexionis ; in altero in ratione probabilitatis principiorum ; in tertio in ratione composita probabilitatis tum principiorum, tum connexionis. Atque haec de probabilitate physica ; Ad probabilitatem vero historicam quod attinet, haec spectat veritatem factorum, de qua hic pauca explicanda supersunt.

§. *328. Def. Historia est fidelis, atque completa factorum narratio*. Eaque fidem parit, non scientiam (§. 117.).

§. *329. Schol.* Qui factum narrat dicitur *historicus;* vel *testis* ; et quidem *testis oculatus*, si quod narrat, propriis ipse oculis viderit. Ita Joannes Evangelista dicitur testis ocularis, quia quod vidit, et perspexit, scripsit ; *Auritus* si quod narrat, ab aliis probis testibus, qui viderint, audierit ; ita S. Lucas est testis auritus, quoad Evangelium quod scripsit, quia illud, non sicut ipse viderat, sed secundum quod ab aliis audierat, qui viderant, scripsit. *Synchronus*, si eo tempore vixit, quo factum accidit ; anachronus autem si aevo sequenti ; *suppar* si integro saeculo distat a facto, quod narratur, tandem testis *remotus* dicitur si pluribus distat saeculis.

§. *330. Animad.* Porro probabilitas historica non aliunde metienda est, quam ex dotibus hominum narrantium ; ex rebus ipsis quae narrantur, et ex circumstantiis, quae sive narrantes, sive res narratas respiciunt. Quo enim factum aliquod veritati certae historicae magis accedit, eo plures gradus probabilitatis habet, et e contra ; et quo majorem fidem historicus aliquis meretur, eo probabilius est quod narrat, et e contra. Hinc, suppositis aliis dotibus, pleniorem fidem meretur testis oculatus, si fuerit domesticus, quam non domesticus ; similiter dices de auditu. Probabilior est narratio testis synchroni, quam mille anachronorum in contrarium ; probabilior illa testis supparis, quam remoti, sive recentis.

CAPUT IV.

De Methodo veritatem, propria meditatione, inveniendi.

§. *331*. *Def. 1*. *Meditatio, hic nobis, est recta atque conformis cogitationum nostrarum bonae methodi legibus applicatio*.

§. *332*. *Coroll. 1*. Propria itaque meditatione veritatem invenire nihil est aliud, quam cogitationes proprias, ita ad methodi leges, et justo ordini disponere, ut veritates aliae ex aliis eruantur; vel proposita aliqua quaestio solvatur,

§. 333. *Coroll.* 2. Ille igitur felicius poterit meditari, qui bonae methodi leges recte novit, rectiusque exequitur; quidve sit notum quod tenet, quid ignotum quod meditando vult invenire, distinguere sciat.

§. *334*. *Animad.* Siquidem in omni quaestione duo dari necessario debent, *datum* nempe, *seu notum*, et *quaesitum*, seu *ignotum*. Omne namque quod quaeritur, semper sub datis conditionibus quaeritur, quae vel exprimuntur, ut *dato effectu quaeritur caussa*; *data caussa quaeritur effectus*: *Datis partibus quaeritur totum*, *datis toto, et una ejus parte*, *quaeritur altera*; vel latent in definitione rei, circa quam quaestio versatur. Si ex. gr.; quaeras: *quamnam laterum rationem habeant quadrata*, nulla conditio dari videtur: si tamen ita quaestio exprimatur: *Figurae*, *quae fieri concipiuntur ex ductu unius lineae in seipsam*, *quamnam laterum rationem habebunt*; Conditionem utique dari manifeste apparet. Et quidem nisi certae conditiones, certae notae, certa insignia comitentur rem, de qua quaeritur, neque ad hoc potius, quam quodvis aliud quaerendum nos determinare poterimus; neque postquam aliquid invenerimus, cognoscere, hoc esse illud, quod quaerebatur. Nonnisi ergo ex datis conditionibus, et characteribus, quae rem ignotam comitantur ad quaestionis solutionem possumus pervenire. Ignotum enim nonnisi per notum detegi potest.

§. 335. *Schol.* Ut autem Philosophus noster, propria meditatione, tutius ad veritatis inventionem pervenire possit, sequentes oportet servare

CANONES.

I. *Ad meditandum, affectibus omnino vacuus accedito.* Attentio enim, est ad rite meditandum, quammaxime necessaria; haec antem affectibus turbari, ignorat nemo.

II. *Curato diligenter, ut statum quaestionis probe teneas; ut nempe optime intelligas data, et quaesita, et ab invicem distinguas. Quare ad quaestionem solvendam nudus, principiorumque inscius, numquam accedito.*

III. *Ordinem constanter servato;* A facilioribus propterea, ad abstrusiora progreditor.

IV. *Si quaestio plures habuerit partes, in eas distinguito; tum examinator singulas, et eas prius, quae ad aliarum solutionem ducere possint.*

V. *Quaecumque cum proposita quaestione aliquam habent connexionem, diligenter exquirito: omnes possibiles fingito hypotheses, quaecumque ei lumen afferre possunt, amplectitor; omniaque colligito, et comparato.*

VI. *Principia quaeque, atque ideas mutuo conferto, omniumque relationes perpendito. Omnia deinde repetitor, diuque considerato, et si quid erroris habent, corrigito.*

CAPUT V.

De Methodo veritatem lectione comparandi.

§. 336. *Animad.* Maximum, ex librorum lectione, ad veritatem inveniendam derivare adjumentum, et experientia, et communis sensus clarissime ostendunt. Ea enim fit, ut unus homo, proprio inclusus cubiculo, cernere possit quaecumque, superioribus aetatibus, ubique locorum, et gentium ab omnibus aliis acta sunt, observata, atque cogitata. Ea fit, ut non nostrae tantum mentis vi, et facultate cogitemus, sed et omnium hominum sapientum,

et omnium temporum. Nisi tamen librorum lectio sit ad certas regulas ordinata, non solum inutilis futura est, sed et noxia. Nihil fortasse est, ex quo tot mala proveniunt, quam ex prava librorum lectione. Hinc putidissimi errores, hinc praejudicia; hinc incertitudo, et confusio. Hinc fit, ut in sinum admittamus promiscuam principiorum, et ratiociniorum farraginem, Hinc est ut memoriam, copiosa rerum minime intellectarum, obscuratum, falsarum suppellectile oneremus. Quare qui male, aut malos Libros legunt, melius facerent, si a lectione omnino abstinerent.

§. *337. Schol.* Nostra igitur hic interest, tironi Philosopho, ut cum fructu legere possit, sequentes praescribere

CANONES.

I. ***Paucos, eosque lectissimos, in quavis disciplina, habeto libros, illosque perattente legito, atque studiose versato per singula ipsorum capita.*** Paucos quidem. Nam multorum librorum lectione mens confunditur potius, quam in veritatis inquisitione adjuvatur. Praeclare Seneca (Ep. 45.): ***Non refert quam multos, sed quam bonos libros habeas.*** Et alibi (Epist. 2.): ***distrahit animum librorum multitudo . . . . Fastidientis stomachi est multa degustare, quae ubi varia sunt, et diversa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege.*** Lectissimos autem voco libros, qui ab Auctoribus probis, sapientibus, sanis in Fide Catholica, et quidem stylo concinno, prout materia tulerit, conscripti fuerint; quique ab Ecclesia damnati non sint. Igni propterea tradantur omnes libri illi, qui Religioni quo quomodo adversantur; bonos mores corumpunt, atque societatem perturbant, si non etiam dissolvunt.

II. ***Priusquam ad legendum ingrederis, quaecumque ad librum; cujus lectioni incumbere vis, plene intelligendum, necessaria sunt, aut conducunt, discito.***

III. ***Ut autem methodum, stylum, et scopum Auctoris intelligas, prius in Operis praefationem attentionem dirigito; tum singulas ex ordine succedentes Operis par-***

tes legendo, quaecumque in singulis capitibus continentur, alte memoriae infigito.

IV. *Quae legeris, atque super iis meditatus fueris, cum viris doctis conferto; atque ne obliviscantur, in scriptis referto. Nulla enim res*, ait Tullius in Bruto (Cap: 24.) *tantum ad discendum profuit quam scriptio.* Quod et in seipso expertus S. Augustinus, ingenue (in Prologo lib: 2. de Trinit:) fassus est, dicens: *Ego ipse multa, quae nesciebam, scribendo me didicisse confiteor.*

V. *Curato ut quod legas, rite quoque interpreteris.* Ut nempe illud significatum vocabulis affigas, quod illis, Auctor affixit, et non alio sensu in libro asserta accipias, quam quo Auctor ipse accepit, habita ratione Auctoris, temporis, quo floruit, et aliarum circumstantiarum, quae observatu sunt dignae. (*a*).

CAPUT VI.

De methodo veritatem Disputatione inveniendi.

§. 338. Def. Disputatio est litteraria duorum, de eadem propositione, contradictorie sentientium, concertatio.

339. Schol. Triplici modo fieri potest Disputatio. Vel enim 1. fit per mutuas interrogationes, et responsa, et vocatur *Socratica*, quia ea disputandi ratione Socrates valde delectabatur; vel 2. Oratorio dicendi genere ab uno proponuntur argumenta opposita, ab altero solvuntur, et dicitur Accademica; vel tandem 3. per Syllogisticas argumentationes ab una parte propositas, ab altera fideliter exceptas, et quoad singulas propositiones expensas, et dicitur *Dialectica*, vel *Syllogistica.* Prima in litterariis colloquiis familiaribus locum habet; 2. in Accademiis; 3. in litterariis congressibus est in usu. De hac ultima, hic modo agimus.

(*a*) Vid. Genuen. Lib. VI. Artis Logicae Cap: VIII. *De Arte Hermeneutica.*

§. 340. *Animad.* Tribus autem personis disputatio dialectica absolvitur. Prima, quae propositionem defendit, et dicitur *Defendens*; altera, quae eam impugnat, et dicitur *Arguens*, vel *Opponens*; tertia tandem, quae facit, ut omnia recto ordine procedant, et defendentem tuetur, dicitur *Praeses*.

§. 341. *Schol.* Syllogisticae Disputationis haec est Lex generalis; nempe: « Disputantes in aliquibus principiis generalibus conveniant, quae nempe ab utroque, ut certa et indubia habeantur, alias nihil conficient. *Defendens* propositionem defendendam dilucide exponat; Arguens brevem, expeditamque argumentationem opponat; Defendens, singulas argumentationis ejus partes expendat, ac de singulis ferat sententiam; Opponens iterum, nova argumentatione, Defendentis sententiam impetat, donec ad manifesta principia per continuam analysim, alterutra ex parte ventum sit, quibus nequeat adversarius contradicere.

§. 342. Ex qua supradicta generali regula, hi sequuntur exacte in disputatione servandi

CANONES.

I. *Amore solius veritatis inveniendae ad disputandum accedito.*

II. *Defendens, ante omnia, quaestionis statum conficiat, illumque clarissimis exponat verbis, vel per se notis nempe, vel antea definitis, ut quid certum in ea sit, vel datum, quid incertum, seu quaesitum appareat.*

III. *Unica propositione; quoad fieri potest, sententiam suam dicat. Quod si propositionem pluribus constare partibus contingerit, eas accurate secernat.*

IV. *Opponens, omnium primum, satagat verum sensum assequi assertae propositionis a defendente. Probe distinguat quid defendens asserit, quid supponit, ut illud tantum impugnet, hoc et ipse in disputando servet.*

V. *Tum sine verborum apparatu, sine ulla ambiguitate sermonis, sed verbis modestissimis, et gestu,*

quem virum bonum, et prudentem decet, argumentum suum contra defendentis thesim proponat, cujus conclusio sit thesi contradictoria.

VI. *Defendens fideliter, et si fieri potest, ad litteram excipiat argumentationem ab opponente sibi factam, et singulas ejus propositiones dijudicet: veram concedat, falsam neget, dubiam distinguat, eam admittendo in sensu vero, respuendo in sensu falso. Si qua vero propositio ad rem, de qua agitur, minime pertinere videatur; eam omittat. Sed de omnibus, e vestigio, rationem addat.*

VII. *Patienter, imo et cum honoris significatione, audito defendentis responso, opponens, nova argumentatione, negatas a defendente propositiones veras esse probet; vel ostendat, quod dato etiam sint falsae, adhuc thesim evertunt; et ita quidem, ut nova syllogismi conclusio sit eadem negata propositio. Atque hoc pacto ambo in contradictoriarum semper sententiarum probatione persistentes, numquam a praefixo scopo deflectant.*

VIII. *Defendens syllogismum in forma peccantem totum reijciat; de propositionibus, quae vel obscurae sunt, vel dubiae probationem postulet. Caveat ne propositionem concedat, in qua adversarius struxit insidias. Curetque ne consequentiam distinguat, sed si opus fuerit, consequens distinguat.*

IX. *Cum ventum fuerit sive ad argumentationem, sive ad responsionem, evidentibus principiis nixam, a disputatione cessandum est, et veritati, pro quacumque parte ea steterit, sine clamoribus, et rixis, obsequendum.*

Alia quae hic desiderari possent, melius usu et consuetudine disputandi, quam regulis addiscentur.

CAPUT VII.

De Methodo Synthetica, sive inventam veritatem edocendi.

§. *343. Animad.* Superet, ut inventam veritatem alios edocere sciamus, quod et synthetica Methodo perficitur. Quod autem veritatem alios edocere debeamus, id fit ex societatis legibus, quibus ut singulorum utilitatem singuli procuremus, obligamur. *Non enim nobis tantum nati sumus, sed et amicis, et Patriae.*

§. *344. Schol.* Quicumque Methodo synthetica vult uti, atque alios edocendi, in se onus suscipere, sequentes servet

CANONES.

I. *Primum omnium distincte explicet id, de quo agere constituit; ideamque prebeat generalem de subjecto, quod pertractandum suspicit, ut intelligatur quid sit, de quo disputatur.*

II. *Curet maximopere, ut eam subjecti partem prius pertractet, quae sine reliquorum consideratione explicari possit; secundo, quae indigeat superstitibus; sicque deinceps.*

III. *Singulos terminos, qui ad dicendorum intelligentiam prodesse possunt, conficiendisque demonstrationibus, definiat accurate, juxta regulas optimae definitionis* (§. *197.*).

IV. *Post definitiones axiomata ponat, si opertet* (a);

(a) Axiomatum nomine, hoc loco, non veniunt tantum propositiones intuitivo-evidentes, scilicet indemonstrabiles (§. 185.), sed et propositiones quoque demonstrabiles, quarum veritas ultro agnoscitur ab eo, cum quo res agitur, quae idcirco *Axiomata respectiva* dici possunt, vel *datorum* etiam nomine appellari.

tum postulata, *si quae occurrent ponenda*; *deinde hypotheses.*

V. *Si quaestio Psycologica sit*, *apponantur experientiae internae*: *si de rebus physicis sermo fiat*, *experimenta*, *et observationes sensuum externorum.*

VI. *Positis*, *atque explicatis principiis*, *quae demonstrationibus conficiendis inserviunt*, *Auctores tam pro affirmativa*, *quam negativa parte stantes*, *in medium adducat*, *ne audientes*, *eos*, *quibuscum agitur*, *ignorent.*

VII. *Lemmata sequentur*, *si necessaria fuerint ad demonstrationes conficiendas.*

VIII. *Jam de ipsa re agendum per theses distinctas* (quae erunt vel theoremata, vel problemata, pro argumenti natura), *si plura sint de re judicia ponenda. Theses ordinatae sint*, *et quidem ea lege connexae*, *ut universaliores*, *et magis simplices eas praecedant*, *quae minus universales*, *et minus simplices sunt.*

IX. *Propositionum expositarum demonstrationes inaedificentur praepositis definitionibus*, *axiomatibus*, *experimentis*, *observationibus in antecessum demonstratis*, *nec non auditoribus*, *nexum illationis cum praemissis*, *ostendatur.*

X. *Si quid ex thesibus consequatur*, *quod sit magni momenti*, *vel dicendis lucem afferat*, *instar Corollarii subnectendum. Si quid vero in propositionibus aliquibus explicandum supererit*, *Scholia subjiciantur.*

XI. *Stylus sit simplex*, *facilis*, *et concinnus. Nihil namque dicatur*, *quod sit a re*, *quae agitur*, *alienum*; *ubique autem servetur perspicuitas*, *et soliditas*; *haec namque duo*, *faciunt operae pretium.* Styli simplicitate doctores veritatis delectantur; *Nam ipsa veritas simplex est*: *praestigiosus autem stylus*, *magis circulatorum decipientium proprius est*, inquit Bergier (*Praef. Apolog. Relig. §. 10.*).

Atque haec satis de Methodo Synthetica, seu Mathematica, cui quantum possumus, in his Institutionibus accedere conabimur. Sitque etiam hic Logicae theoreticae finis.

LOGICÆ PARS II.

PRACTICA

Logicae Practicae necessitas, atque Divisio.

§. 346. Logicae theoreticae, quantum Instituti praefixa brevitas tulit, explicatis praeceptis, opere pretium est, ad aliam Logicae partem petractandam, quae practica est, transeamus. Haec sane adeo necessaria videtur, ut nihil aut valde parum profecisse putandus erit quicumque eam neglexerit. Nam sicuti in qualibet arte, vel facultate, regulas solum, quibus illae constant, didicisse non sufficit, ut quis in ea peritus habeatur, sed omnino necesse est, ut regulas illas in praxim reducat, atque exercitatione, quae repetitis actibus fit, habitum acquirat, ita neque solae regulae Logicae theoreticae sine praxi, atque exercitatione perfectum Logicum, et multo minus verum Philosophum, efficient. Ultra quamquod: *Omnis disciplina*, ut ait Quintilianus (Lib. III.), *memoria constat, frustraque docemur, si quidquid audivimus praeterfluit*; Et sane, tantum scimus, quantum memoria tenemus; quis autem ignorat, ingenium sine exercitatione torpere, atque memoriam sicuti exercitio augeri, plurimumque perfici, ita sine exercitio minui, et ita aliquoties, ut eorum, quae didicimus penitus obliviscamur? Frustra itaque dicendi erimus laborasse in tradendis Logicae theoreticae praeceptis, si in praxim ea non reduxerimus, atque usu, et exercitatione habitum in iis non acquisiverimus. Hanc proinde Logicae partem, ut utiliter, et recto ordine pertractemus, in quatuor Exercitationes eam dividemus. In prima, scien-

tiae existentiam examinabimus. In secunda, scientiae, seu veritatis criterium. In tertia, scientiae originem. In quarta Actus Scientiae, Fidei, et Opinionis expendemus.

EXERCITATIO I.

De Scientiae existentia.

§. *346. Def.* 1. *Scientia*, hic nobis, *est cognitio certa, et evidens de objecto aliquo* (§. *8.*).

§. *347. Animad.* Scientiam itaque stricto sensu, et quidem objective consideramus hoc loco. Etenim datur quoque scientia, quae dicitur late sumpta, et est cognitio quaelibet, sive certa, sive incerta (§. 189.); sive dubia; sive obscura (§. 172.); probabilis, vel improbabilis (§. 173.); quae scientiae species, merae ignorantiae opponitur, statui nempe mentis, cognitione destitutae: quatenus nempe, qui aliquid penitus non ignorat, illud scire dicatur.

§. *348. Def. Evidentia est clara, distincta, atque perspicua objecti alicujus manifestatio.* Evidentia enim, est veluti quoddam spirituale lumen, quo clare, distincte; et perspicue objecta menti repraesentantur, ut mens penitus acquiescat, nec de eorum veritate vel minimum dubitare possit.

§. *349. Coroll.* Ad scientiam stricte sumptam necessario praerequiruntur certitudo (§. 289), atque evidentia (§. 348.); certitudo quidem, ut secernatur ab opinione, quae includit formidinem de opposito (§. 325), evidentia, ut secernatur a fide, quae est de rebus non apparentibus (§. 319.).

§. *350. Schol.* Quoniam scientia est cognitio certa, et evidens de objecto aliquo; objecta autem de quibus cognitionem certam, atque evidentem habere possumus duplicis sunt generis, vel nempe 1. Metaphysica; et intelligibilia; vel 2. Physica et sensibilia; Hinc scientia alia est Metaphysica, alia Physica; haec est de objectis

physicis, et sensibilibus, illa vero de objectis Metaphysicis, et intelligibilibus. Et quia insuper datur certitudo moralis (§. 290.), quam evidentia quaedam comitatur, licet non intrinseca, sed extrinseca et auctoritatis, hinc et aliam scientiam recognoscunt Eruditi; nempe scientiam moralem, quae est de objectis historicis et credibilibus. Primam itaque hujus nostrae Logicae practicae Exercitationem, duobus Capitibus absolvemus. In primo de existentia scientiae metaphysicae; in 2. de existentia scientiae physicae pertractabimus; de existentia autem scientiae moralis, non est hic disputandi locus.

CAPUT I.

De existentia scientiae metaphysicae.

§. 351. *Def.* Scientia metaphysica alia dicitur ***scientia simplicis intuitionis***, seu ***intelligentiae***, et est cognitio certa, et evidens, quae sola collatione idearum, et primo intuitu, sine ratiocinationis ope habetur; uti est scientia primorum principiorum; axiomatum, et eorum, quae per se clara sunt, atque conspicua; alia dicitur scientia ***demonstrationis***, et est cognitio certa, et evidens, quae per demonstrationem (§. 303.) obtinetur; talis est scientia theorematum, et eorum, quae non intelliguntur, nisi fuerint demonstrata.

§. 352 *Schol.* De hac scientia metaphysica (§. 351.) sive intuitionis ea sit, sive demonstrationis investigare debemus, an revera detur in homine. An scilicet homo revera polleat de aliquibus rebus a sensu remotis, et mere intelligibilibus cognitione certa, atque evidenti.

Hominum placita.

§. 353. Circa scientiae existentiam, ad quatuor classes reducuntur hominum placita. Volunt aliqui, a nobis nihil prorsus sciri, immo omnia adeo esse incom-

prehensibilia, ut ne id quidem certo sciri possit, quod nihil sciatur. Atque homines hujusmodi dicti fuerunt Acathaleptici, hoc est incomprehensibiles; atque rigorosi Sceptici quoque vocantur; quippe qui nulla habent principia certa, et explorata; inter quos recensentur Arcesilaus, Carneades, et omnium primus Pyrro Eleus Anaxarchi discipulus. Volunt alii, nullam veritatem posse a nobis comprehendi, sed omnia occulta, omnia dubia esse, atque obscura; Atque, hi fuerunt Accademici, sic dicti a loco quodam nemoroso in suburbio Athenarum sito, cui nomen Accademus, in quo convenire solebant ad Philosophicas Concertationes habendas; Inter quos primus; ex Laertio, Xenophanes extitit, cui adstipulatus fuit Democritus, a quo illud effatum profluit: *Veritatem profundo velut in puteo latitare*; nec non Socrates ipse, Apollinis oraculo, omnium sapientissimus, qui teste Tullio (Lib. IV. Accad. Quaest. Cap. 23.), *hoc unum tantum scire se*, dixit, hoc est, *nihil se scire, nihil amplius*. Volunt alii, ex opposito, non solum omnia se scire posse, sed superbe nimis jactitant, se revera omnia scire, et hi quidem Dogmatici dicti fuerunt. Volunt tandem alii, non pauca esse incomprehensibilia; at esse etiam multa, quae a nobis scientia, stricte sumpta, sciuntur, sive per simplicem intuitionem, sive per demonstrationem. Quibus vero nos adhaerebimus, infra patebit. Interim sit.

§. 354. *Axioma 1. Impossibile est idem simul esse, et non esse.*

§. 355. *Axioma 2. Repugnat ut effectus sit sine caussa sua efficiente.* Si namque res aliter se haberet, idem simul esset, et non esset. Siquidem effectus esset effectus, ut supponitur, et non esset effectus, quia caussam sui effectricem non haberet.

§. 356. *Axioma 3. Quisquis operatur, existit*; Nempe, ut inquiunt Scholastici: *operatio sequitur esse*. Nam operatio, seu actio est effectus; ergo necessario supponit caussam sui efficientem, a qua producatur; alias daretur effectus sine caussa efficiente, quod repugnat (§. 355. Ax. 2.).

PROPOSITIO II.

Indignum prorsus est viro Philosopho, Scepticismo rigoroso adhaerere.

§. *357. Demon.* Nihil tam est prorsus Philosopho indignum, quam illi adhaerere, qui omnem tollit, atque penitus evertit Philosophiam; Atqui Scepticismus rigorosus omnem tollit, atque evertit Philosophiam; Ergo adhaerere Scepticismo rigoroso est prorsus viro Philosopho indignum. Prob. min. Philosophia est rerum divinarum, atque humanarum scientia (§. *5.*); Sed rigorosus Scepticismus nullam admittit scientiam (§. *353.*); Ergo rigorosus etc. Adeoque etc. Q. E. D.

PROPOSITIO III.

Rigorosus Scepticismus nequit sustineri.

§. *358. Demon.* Scepticismus rigorosus repugnat rationi; Ergo nequit sustineri. Prob. ans. Ratio est facultas nexum rerum, et veritatum distincte perspiciendi (§. 12.); Atqui Scepticismo rigoroso nullae veritates admittuntur, et multo minus nexus, qui sunt inter eas perspici posse affirmatur (§. 353.); Ergo etc. Deinde, ut rigorosus Scepticismus posset sustineri, ejus subsistentia deberet vel per se manifeste patere, aut firmis demonstrationibus fulciri; atqui neutrum dici potest; Ergo rigorosus Scepticismus nequit sustineri. Prob. min. quoad secundam partem; nam quoad primam, unusquisque primo inuitu videt subsistentiam Scepticismi rigorosi nequaquam clare patere. Demonstratio firma tunc habetur, cum in principiis certis superstruitur; atque ex principiis id deducatur, quod cum illis connexum est (§. 304. 305.); Ut ergo Scep-

ticismi rigoros subsistentia firmis demonstrationibus fulciri posset, deberent Sceptici principia certa admittere; Atqui ipsi nulla principia certa habent, sed nec habere posse fatentur (§. 353.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 859. *Coroll.* Rigorosum ergo Scepticismum velle impugnare, est verberare aerem. Disputantes namque debent in aliquo dato noto, atque certo invicem convenire (§. 341.); quis autem in principiis certis cum Scepticis hujusmodi convenire poterit, quibus nihil est certum? Quare.

§. 360. *Coroll.* 2. Aut nulli unquam extiterunt hujus generis Sceptici, qui ex animo dixerint, *nihil omnino sciri*, *nihil comprehendi posse*; aut si qui fuerint, eos oretenus id dixisse fatendum, vel phreneticos absolute, ebriosque fuisse, dum talia effutirent. Ebrios namque neque mentis, neque corporis esse compotes, notum est.

§. 361. *Coroll.* 3. Contra Scepticos itaque hujusmodi disputationem hic nos non instituimus. Tempus enim nobis non est, quod fustra insumamus; potius Accedemicos aggredimur. Itaque sit.

PROPOSITIO III.

Plurium rerum intelligibilium extat apud homines scientia.

362. Domonst. Accademici, nobiscum conveniunt, et convenire debent, nisi velint cum Acathalepticis insanire, existentiam sui ipsius, prout res cogitans quisque est, axiomata, entia geometrica et metaphysica, esse res intelligibiles; Atqui de his pluribus extat apud homines scientia; Ergo vera propositio. Prob min. Accademici cogitant, et putant se nihil certo scire, nec non dubitant de omnibus; Ergo plura et ipsi sciunt. Prob consà. Nescire, dubitare, incertum esse, sunt effectus; et quidem entis viventis, ut optime quisque observat cum S. Augustino dicente (in Enchir.); *Non solum scire, sed etiam nescire, et falli, et du-*

bilare viventis est. Atqui repugnat, ut quod operatur, non existat (§. 356.), et ut effectus sint sine caussa ipsorum efficiente (§. 355.); Ergo Accademici negare non possunt propriam existentiam, prout saltem sunt res cogitans, et activa. Quod si sciunt se existere, sciunt quoque se non posse non existere, dum existunt; adeoque sciunt infallibile esse hoc axioma: *Impossibile est idem simul esse, et non esse*; et consequenter verum sciunt hoc aliud axioma: *Totum est sua parte majus*; nam si hoc verum non esset, idem simul esset, et non esset, nempe totum esset quidem totum, ut supponitur, non esset autem, quia majus sua parte non esset. Idem dic de aliis; Ergo etc.

Audiuntur Accademici.

§. *363. Objic. 1,* Si qua apud homines rerum intelligibilium scientia extaret, maxime esset de rebus, quae in Metaphysica jactantur; Atqui nulla est in Metaphysica certa, atque inconcussa veritas; Ergo falsa exposita propositio. Prob. min. Omnes veritates, quae in Metaphysica jactantur, ex constitutis antea principiis, definitionibus nempe, atque axiomatibus, derivantur; sed praevia ista principia nullam certam, atque inconcussam habent veritatem; Igitur etc. Prob. min. Praevia ista principia, non sunt, nisi merae hypotheses; supponuntur enim, antequam cognoscantur; sed merae hypotheses nullam habent certam atque inconcussam veritatem; Ergo praevia ista principia etc.

§. 364. R. ad argum. In investiganda, atque stabilienda aliqua veritate metaphysica, nos quidem hypothesibus utimur, sed quibus? Illis profecto, quas Accademici ipsi usurpant; nobisque suppeditant. Agite enim, et cum Accademicis ad conflictandum progrediamur: Num scilicet apud homines sit aliqua rerum intelligibilium scientia. Et ne verbis aerem verberemus, sciscitamur ab ipsis, quidnam rerum intelligibilium nomine ipsi intelligant? Profecto nisi ludere velint, reponere debent, rerum intellibilium nomine, nihil aliud significari, nisi axiomata, entia

thematica, et metaphysica, nec non mei ipsius existentia, prout sum ens cogitans. Ipsimet ergo, rerum intelligibilium definitionem nobis suppeditant, in qua ipsi nobiscum conveniunt, et convenire debent (§. 359.). Sed haec hypothesis est, utique; at hypothesis certa, quae nulla indiget probatione, tum quia de vocabulorum definitione litigandum non est tum quia ab Accademicis ipsis usurpatur. Ex quo itaque hyunits pothesibus utimur in veritatibus metaphysicis pervestigandis, concludi nequit, de rebus metaphysicis nullam scientiam homines habere posse.

§. 365. *Contra.* Atqui ex quo in rebus metaphysicis pervestigandis hypotheses adhibetis, nullam de illis scientiam homines habere, ostenditis; Ergo n. r. Prob. subsm. Accademicorum vos hypotheses adhibentes, vel aliquid pro certo supponitis, vel nihil. Si primum; ergo falso supposito laboratis, quia nempe supponitis quod est in quaestione; hic namque quaeritur, num aliquid certi apud homines habeatur. Si vero nihil certi a vobis supponitur, sed omne dubium esse reputatur; ergo nulla veritas a vobis inveniri potest; quia ex dubio non nisi dubium consequitur; quemadmodum ex vero non sequitur, nisi verum; Adeoq. etc.

§. 366. R. Non possumus magis rigorosa philosophandi methodo contra Accademicos procedere, quam si eadem adhibeamus principia, quibus ipsi utuntur. Nominales rerum definitiones Accademici usurpant, et nos ipsi eas usurpamus; de omnibus dubitant Accademici, dubitamus et nos ipsi; Si ergo haec duo principia, nominales nempe rerum definitiones, universalemque dubitationem pro certis supponimus, falso supposito non laboramus, quia nec ipsi Accademici de illis dubitant, nec dubitare pussunt, nisi sibimetipsis manifeste contradicant. Quod si quis Accademicus esset, qui de ipsa quoque universali dubitatione dubitaret, is certe ad Anticyram esset relegandus; non enim illius mens, sed cerebrum curatione indigeret. At inquiunt, ex semel constituta universali Accademicorum dubitatione, nulla veritas derivari potest; ex dubio enim, nonnisi dubium inferri potest, quemadmodum ex vero, non infertur nisi verum. Sed distinguo propositionem: ex dubio nonnisi dubium inferri potest,

si de ipso quoque dubio dubitetur, concedo propositionem; si dubium pro certo habeatur, nego propositionem. Nam si certum est me dubitare, certum quoque erit, quod cogito, quod operor; et consequenter, quod existo (§. 362.).

§. 367. *Contra.* Atqui licet eadem cum Accademicis principia supponatis, adhuc fateri debetis, nullam de rebus metaphysicis assequi posse veritatem; Ergo n. r. Prob. subsm. Ut certi esse possetis, de rebus metaphysicis, aliquam assecutos fuisse veritatem, deberetis quoque certi esse de aliquo signo vel criterio, quo verum a falso distinguitur; Atqui de tali signo certi non estis; ergo nec certi estis, aliquam de rebus metaphysicis adquisivisse veritatem. Prob. min. In assignando veritatis criterio digladiantur inter se Philosophi: Ergo etc.

§. 368. R. dist. ans. In assignando *quod sit* veritatis criterium digladiantur inter se Philosophi, nego ans; in assignando *quale sit*, conc. ans. Ergo etc., n. consm. Si mente captos Scepticos solum excipiamus, Philosophi omnes mirifice consentiunt in aliquo veritatis criterio admittendo, licet in assignando quale sit, digladientur inter se. Et sane, tanta urget necessitas, criterium aliquod admittendi, ut ne ipsi quidem Accademici, hoc possint in dubium revocare. Nam, si fieri potest, dubitent Accademici de criterii existentia; ergo debent de propria existentia etiam dubitare. Nam ubi deest criterium, deest veritas, dubium adest. Sed Accademici nequeunt de propria existentia vel leviter dubitare (§. 362.); Ergo velint, nolint, existentiam alicujus criterii nobiscum fateri debent; Adeoque etc.

§. 369. *Objic.* 2. Intellectus humanus est finitus et fallibilis; ergo nulla rerum intelligibilium apud homines extat scientia.

R. 370. R. dist. ans. Intellectus humanus est fallibilis circa omnia, n. ans., circa aliqua, subdist. Circa aliqua obscura, et quae mentis capacitatem fugiunt, conc. circa etiam clara, perspicua, quae vel unico intuitu, vel legitima, et rite instituta demonstratione cognoscuntur, n. ans.; Ergo etc. n. consm. Cum intellectus humanus sit finitus, certe falli potest atque errare. Multa nam-

quae sunt in rerum natura, de quibus nexum nec percipimus, nec distincte percipere possumus: quare dum praecipitanter de his judicare volumus, profecto fallimur. At non ita est de multis aliis rebus, quarum veritas ita menti nostrae affulget, ut etiamsi velimus, assensum denegare non possumus.

§. 371. *Contra*. Atqui etiam in rebus clarissimis, et perspicuis intellectus humanus fallibilis est, falliturque; Ergo n. r. Prob. subsm. Per multa saecula tamquam clarissimae, atque inconcussae veritates habitae sunt nonnullorum Philosophorum propositiones, quae hodie putidissimae falsitates patefactae sunt; Ergo etiam etc.

§. 372. R. dist. ans. Per multa saecula etc., et tales Philosophorum propositiones erant veritates tantum subjectivae, conc. ans.; erant quoque objectivae, nego ans, et consm. Cum veritas objectiva in conformitate consistat cogitationum nostrarum cum objectis, semper ac realis ista, et non fucata conformitas est inter nostras cogitationes, et objecta, falsitas non timetur; quia talis veritas a mente non pendet. At si veritas illa est objectiva; hoc est conformitas cogitationum cum objectis, non est vera, et realis, seb apparens, et qualis a mente subjecti cogitantis, non qualis in se revera est, percipitur, tunc accedente majori attentione, et veritatis luce affulgente, detegitur falsitas. Ita fuerunt nonnullae propositiones Philosophorum, subjective nempe tantum verae, non vero objective, quare tractu temporis, potiori acumine, et diligentia ad examen revocatae, falsitates fuisse, adinventae sunt

§. 373. *Contra*. Atqui veritates ipsae clarissimae, objectivae, et inconcussae, falsae observantur; Ergo n. r. Prob. subsm. Si qua est veritas objectiva clarissima, et inconcussa, illa profecto est hujus axiomatis: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: Atqui hoc Axioma falsum ostenditur; Ergo veritates etc. Prob. min. In divinis, ut tenent Catholici, personae sunt eaedem uni tertio, scilicet naturae Divinae, et tamen non sunt eaedem inter se; quia alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; Ergo etc.

§. 374. R. In personis etc., dist. ans. In Divinis

etc. personae sunt eaedem quoad esse absolutum, sive Divinum, et tamen non sunt eaedem inter se, quoad esse relativum sive personale, conc. ans; secns, nego ans; et consm. Ut axioma illud verificetur, debet aliqua praeseferre, quae hic explicabimus, ut omnis tollatur aequivocandi occasio. Axioma itaque illud quaedam hypothetice supponit, quaedam vero absolute pronuntiat. Quae supponit, tria sunt. Primo scilicet supponit tres terminos, sive tria extrema, quorum duo conferri debent cum alio tertio, et deinde conferuntur inter se; secundo quod ipsa tria extrema, quae comparari debent, conferantur in eadem linea, sive considerentur penes eundem sensum, eamdemque rationem: Tertio tandem, quod in tertio extremo reperiatur totum id, quod non desideratur in aliis duobus, et secundum quod inter ipsos comparatio facta fuit. Verbo: ut illa duo extrema cum tertio conveniant, cum quo comparari debent. Unum vero absolute pronuntiant; quod scilicet, praehabitis illis conditionibus, eadem duo extrema, reipsa inter se conveniant in eadem linea, secundum quam fit comparatio cum tertio, sive habeant revera totum id, quod habet tertium, et secundum quod comparatio fuit instituta. Hisce ad rectam Axiomatis illius intelligentiam praesuppositis, ad rem deveniamus. Si Divinae Personae, quoad esse absolutum inspiciantur; sicque tantummodo inspecta Divina Natura, est eadem inter se, cum unum, idemque sit in tribus Personis esse absolutum, sive Natura Divina; adeoque habetur veritas illius axiomatis patentissima. Quod si conferantur cum Divina Natura, quoad esse relativum sive personale, non sunt eaedem inter se, quia, ex praedictis, tertia deficit conditio; nempe non habetur id totum in extremis, quod requiritur ut in eadem linea recta sit comparatio instituta, sive quia in ratione subsistentiae, Divinae Personae non conveniunt inter se; Nam Pater subsistit subsistentia Patris, Filius subsistentia Filii, et Spiritus Sanctus subsistentia Spiritus Sancti. Illud itaque Axioma, non ideo falsum est in Divinis, quia reipsa tale est, sed quia conditiones desunt, quae ad illud requiruntur. Fallitur ergo Baelius cujus est supradictum argumentum, dum conatur osten-

dere, illud Axioma aut subverti per Trinitatis Mysterium, aut Trinitatis Mysterium subvertere.

CAPUT II.

De existentia scientiae Physicae.

§. *375. Def. 1. Cognitio certa, et evidens de rebus physicis, et sensibilibus dicitur scientia physica* (§. *350.*).

§. *376. Def.* 2. Rerum autem sensibilium nomine, veniunt illa omnia, quae sensibus percipiuntur, res nempe corporeae, sive corpora.

§. *377. Def.* 3. Per corpora hic intelligimus, Philosophis omnibus consensientibus, substantias partibus constantes, extensas, divisibiles, ponderosas, figurabiles etc, quae augeri possunt, atque minui, quaeque propterea contingentes sunt, factae, et in Ente necessario, et perfectissimo rationem habent sufficientem propriae existentiae.

§. 378. *Coroll.* Si ergo ostendatur existere substantiam extensam, solidam, divisibilem, resistentem etc., ostensum quoque manebit, res corporeas, seu corpora existere, ac de illorum existentia nos scientiam habere. At fieri ne id potest? Id est quod in praesentiarum obtinere satagimus. Interea hac super re videamus quaenam sint.

Philosophorum sententiae.

§. 349. Praeter Scepticos, qui nihil certo se scire affirmabant; sensuum fallaciam decantabant, neque corpora existere, effutiebant; primus omnium, qui corporum existentiam negare visus fuit, non immerito putatur Plato cum quibusdam Indis. Hic namque discipulis suis dicere non dubitavit, nos opinione solum complecti posse, quae per sensus habemus, non autem certo scire. Verum haec controversia merito per tot saecula oblivioni tradita; temporibus Cartesii reviviscere coepit.

Hic siquidem, postquam dubitationem de omnibus instituit, et sui existentiam ex cogitatione deprehendit, in id vires intendit suas, ut corporum, sui, et aliorum probaret existentiam. Ex hoc ansam arripuit P. Malebranchius Praesbyter Oratorii Jesu in Gallia, affirmandi, nullas esse rationes, quibus ostendatur Corporum existentia. Nec defuerunt ei sectatores. Eamdem namque caussam propugnare satagerunt Michael Angelus Fardella, Siculus Drepanensis, Professor Patavinus, Petrus Bayle, Gallus, et P. Franciscus Lamius, quibus calculum suum addidit Georgius Berkelei, homo hybernus sub nomine Filonoi, quem illa, tribus Dialogis hac de re colloquentem inducit. Haec laudati Philosophi; quid nos, ex mox dicendis patebit. Et ut clarius, qua fieri potest, sit.

§. 380. *Axioma 1. Existo ego, prout sum ens cogitans; at semper non extiti.* Hoc namque est metaphysice certum, nec in dubium revocari potest.

§. 381. *Coroll.* Existit ergo caussa illa, quae me de nihilo eduxit, et me existentia donavit, quae dicitur Deus; alias ego essem caussa, et effectus, quod repugnat (§. 355.).

§. 382. *Axioma 2. Deus, et natura nihil frustra moliuntur.* Repugnat nempe Deo enti necessario, et infinite sapienti, ut aliquid sine ratione, et consilio moliatur, et efficiat. Ecquis non videt?

§. 383. *Coroll.* Omnia itaque, quae Deus facit, ad finem suum ordinat, atque dirigit. Qui finis, tanto nobilior esse comprobatur, quo majus est opus, quod ad finem illum dirigit.

§. 384. *Axioma 3. Deus, qui summa pollet perfectione, nec falli, nec fallere potest.* Falli enim ignorantiam in Deo arguit; fallere vero malitiam, quae duo enti necessario, nempe Deo, quam repugnent, quisque vel primo intuitu, comprehendit.

§. 385. *Postul. 1. Sensus hominis (§. 24.) miro, atque prorsus stupendo artificio ab Opifice Deo elaborati sunt.* Nihil in promptu, est observatu facilius.

§. 386. *Postul. 2. Qui sensu aliquo a nativitate omnino caruit, ideas illarum rerum, quae sub sensu

illo cadunt, sibi numquam procudere poterit. Unde effatum illud: caecus non judicat de coloribus, nec surdus de sono.

PROPOSITIO I.

Corpora existere adversus Scepticos, atque Idealistas, clarissime demonstratur.

§. 387. *Demonst*. Constanti, vivida, uniformi, atque irrefragabili claritate, omnes ubique locorum, et gentium observant, extra nos esse substantias extensas, quae mensurantur; solidas, et impenetrabiles, quae resistentiam faciunt; graves, quae pondere premunt, figuratas, magnas, parvas, etc., ad quarum aspectum, sensus, modo sani sint, et debitis conditionibus ad rite sensiendum armati (§. 314), nequeunt non recipere impressiones, quae spirituum animalium ope, per organa ipsorum sensoria, ad cerebrum usque, animae sedem perducuntur. Atqui substantiae hujusmodi non sunt, nisi corpora (§. 375.); Ergo corpora existere etc. (§. 378). Prob. consa. Vivida illa, constans, atque uniformis talium substantiarum observatio, cum sit communis omnibus, est procul dubio ab ipsa Natura, quae ubique invariata existit; Ergo fallax esse non potest. Adeoque etc. Prob. cons. Si talis observatio foret fallax, Deus nostri erroris auctor esset, quippe qui talis naturae nos fecisset, qui necessario, utpote naturaliter, deciperemur, Atqui Deus sicut non falli, ita nec fallere potest (§. 384.); Ergo etc. Deinde Deus, miro atque stupendo artificio hominis sensus construxit (§. 385.); et ita quidem ut essent instrumenta apta, quaeis anima uteretur ad res extra se positas percipiendas; Si ergo vera corpora non extarent, frustra hos sensus Deus homini dedisset; Atqui Deus, et natura nihil frustra moliuntur (§. 382.); Ergo etc. Ulterius: Si vera corpora non extarent, eorum repraesentationes, quas experimur vel a mente ipsa producerentur, vel a Deo, vel ab aliquo creato Genio. Atqui non producuntur a mente, quia si hoc esset, tum qui habet sensum aliquem, quam qui non habet, eodem modo sibi respe-

ctiva objecta repraesentaret, quod est falsum (§. 346.), et contra experientiam; Non producuntur a Deo, et quia in tali casu frustra sensus nobis dedisset; et quia nos deciperet, quod esse nequit; Non tandem a Genio aliquo producuntur; quippe cum Genius iste, nec ab objectis externis, nec a sensibus penderet, posset hujusmodi repraesentationes, etiam in illis producere, qui vel penitus aliquo sensu privantur, vel male affectum habent, quod est falsum; Ergo etc. Ultra quamquod si Deus, mediante aliquo Genio, voluisset repraesentationes corporeas in nobis fieri, quin revera existerent corpora, frustra nobis sensus contulisset; Atqui hoc est absurdum. Ergo etc. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

Plurium rerum physicarum extat apud homines scientia.

§. 388. *Demonst.* Corpora existere clarissime demonstratum est (§. 387.); sed corpora sunt substantiae extensae, solidae, figuratae etc. (§. 377.); ergo praeter scientiam de corporum existentia, plura alia certo cognoscimus, nempe extensionem, soliditatem; figuram, motum, quantitatem, etc. Quae omnia ignorari nequeunt; admissa reali corporum existentia, quia ipsorum naturam ita constituunt, ut sine illis corpora intelligi nequeant. Ergo etc. Q. E. D.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 389. *Objic. 1.* cum Scepticis. Praeter rerum apparentias nihil aliud affirmare possumus existere, quod per sensus nobis repraesentetur; Ergo falsa propositio. Prob. ans. Tanta, et tam diversa sunt hominum temperamenta, ut rerum solummodo apparentias cognoscere possumus, quid autem res sint, nequaquam. Nam quae uni sunt utilia alio sunt noxia; quae alicui videntur dulcia,

alteri amara ; quae uni mollia, alteri dura : et sic de aliis ; Ergo etc.

§. 390. R. Dist. ans. Tanta, et tam etc., sed mens caussam agnoscit cur eaedem res, in diversis temperamentis, diversos effectus producant, conc., secus, nego ans, et consm. Nulli dubium est, rem eamdem, uni uno modo, alii diverso videri. Verum cum hoc accidit, mens humana illius caussam generalem cognoscit ; videlicet id provenire ex diversa dispositione facultatum excipientium, non autem quia res ipsae revera non existant. Sane lautissimae mensae, sunt quidem gratissimae, at si aegroto, aut stomacho laboranti apponantur et ingratae, et noxiae erunt. Affer vili nautae sano, aut rustico lectum mediocrem, cubabit super illum laetanter, melius ac si esset in Eliogabali lecto, et altum dormiet, offer eumdem homini delicatulo, et mollibus uti solito, aut doloribus laboranti, erit illi paenale supplicium. Idipsum dic de aliis.

§. *391. Contra.* Atqui mens, generalem illam caussam, qua diversae illae apparentiae, respectu diversorum temperamentorum, producuntur nec scit, nec scire potest ; Ergo nulla responsio. Prob. subsm. Eaedem apparentiae, respectu earumdem facultatum excipientium, adeo sunt inconstantes, ut nullum proinde, cum de ipsis apparentiis, tum de facultatibus excipientibus ferri queat judicium. Ergo etc. Positiones, intervalla, loca, admixtiones, quantitates, et constitutiones objectorum externorum, ita ipsas apparentias reddunt difformes, ut totidem nosse caussas oporteret, quot sunt apparentiae, quod idem dixeris de facultatibus excipientibus. Atqui hoc est impossibile ; Ergo etc.

§. 392. R. argm. Vere quidem fatemur positionem, intervallum etc. in argumento numerata, varias in rebus iisdem creare apparentias ; at haec tamen, et quaecumque hujusmodi sunt, non obstant, quominus res ipsae, sint in se revera res aliquae existentes, et necessitate quadam physica has in illis, illas in istis producant apparentias. Quae quidem necessitas ignorari poterit, et caussae cur haec, aliave sic appareant, certo cognosci. Verum dato etiam, quod certo non cognoscantur, quid inde? Numquid negabimus rerum existentiam, quia quo-

modo diversae apparentiae rerum per diversas positiones, intervalla etc. in rebus iisdem producantur, ignoramus? Quidquid sit de apparentis, per sensuum vividam, constantem, atque uniformem relationem scimus existere extra nos substantias corporeas, extensas nempe, solidas figuratas; eas oculis videmus, manibus contrectamus, eorumque effectus sive bonos, et utiles, sive malos, et noxios experimur.

§. *393. Contra*. Atqui praeter rerum apparentias, res nulla revera existit; Ergo redit argm. Prob. subsm. Somniantes, plura nobis tamquam realiter existentia repraesentantur; veluti magnifica palatia, Ecclesiae, nemora, animalia; hostes qui volunt nos perdere, amici, qui nobiscum collaetantur etc., quae interim nullibi existunt, et nihil aliud praeterea sunt, quam purae apparentiae. Igitur fieri potest, ut quae vigilantes nobis videntur revera existere, non sint, nisi purae apparentiae.

§. 394. R. Quae in somniis spectanda nobis phantasia offert, nihil profecto sunt, nisi repraesentationes illarum rerum, licet informium, quae vigilantes aut vidimus, expertique nos sumus, aut audivimus: sicuti etiam illarum actionum, quibus assueti sumus in statu vigiliae. Quare supponunt necessario rerum illarum veram existentiam; si enim illae revera non existerent, nec eae repraesentationes fierent, sicuti in illis non fiunt, qui sensu aliquo a nativitate carent (§. 386.). Audiatur hic Claudianus (Praef. 4. Ho.), qui hanc rem, sequentibus mirifice absolvit veribus.

Omnia quae sensu voluuntur vota diurno
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas, et sua lustra redit.

Judicibus lites, aurigae somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.

Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapsas quaerit avarus opes.

Blandaque largitur frustra sitientibus aegris
Irriguus gelidè pocula fonte sopor: etc.

Cui concinit Poeta Cesareus:

> *Sogna il guerrier le schiere,*
> *Le selve il Cacciator,*
> *E sogna il pescator*
> *Le reti, e l' amo.*

Ex iis ergo, quae nobis somniantibus obversantur, nihil adversus nostram thesim conficitur.

§. 395. *Obijc.* 2. cum Idealistis. Si corporum existentia probari posset, vel probaretur per simplicem perceptionem, vel per judicium, vel per ratiocinium; sed nullo ex his capitibus probari potest; Ergo falsa propositio. Prob. min. Et primo quidem nequit probari per simplicem perceptionem, quia simplex perceptio cum nihil affirmet, vel neget, non evincit rem aliquam habere existentiam. Sed nec etiam per judicium, quia nostra judicia sunt dumtaxat hypothetica; dicere quippe solemus: *Si aequalibus aequalia addas, tota erunt aequalia*, at ignoramus num aliquod aequale, vel inaequale existat. Neque tandem per ratiocinium, quia ratiocinium non est, nisi artificiosa quaedam judiciorum dispositio; Igitur neque etc.

§. 396. R. Rerum extra nos positarum, corporum scilicet existentiam, invictissime probavimus (§. 387.) per ratiocinationem intimo sensui, omnium consensioni, atque divinae bonitati innixam. Persentisco enim ego, atque mecum omnes vividissime persentiscunt, mentem meam variis substantiae corporeae perceptionibus informari. Itaque hoc judicium: *Ego informor variis substantiae corporeae perceptionibus*, hypotheticum non est, sed rem absolutam designat, quemadmodum a Malebranchianis hypothetica non reputatur isthaec altera propositio: *Ego sum res cogitans.* Jam nunc, si per intimum sensum certum mihi est, me varias percipere corporeas substantias, certum quoque, compertumque fit per ratiocinium, quod ejusmodi substantiae, extra meipsum revera existant. Si namque fieri potest; fac quod non existant; Ergo Deus in me fallendo quotidie delectatur Et sane, invicto, tacitoque murmure natura me admonet, quod corpora existant; quod mihi noxia evitem, salubria consec-

ter, ac caetera perficiam juxta meam, aliorumque conservationem. Constanter atque vivide, absque vel minima dubietate conspicio, homines insudare dando rebus corporeis novas formas, novasque mensuras, atque modificationes; Si ergo in his egregie fallar, hic error est a natura, et a Deo qui naturae humanae est auctor. Deus ergo in me fallendo delectatur. At fallere ne potest Deus? Apage tam horrendum blasphemiae monstrum. Nam;

Nec Deus ille Opifex nos ludit imagine vana
Circitor ut solet admirandis fallere vulgus
Portentis, quorum simul ac perspexeris artem
Ilicet e trivio nugas contemnis inanes,
Et plebem intentam vana ad spectacula vides (P. Ceva Dissert. Phil. Nov. Ant.).

§. *397. Contra.* Atqui nequidem argumentum ex divina bonitate depromptum satis firmum est ad corporum existentiam comprobandam; igitur n. r. Stat Deo sua bonitas, tametsi corpora percipiamus tamquam praesentia, quin tamen revera existant; Ergo etc. Prb. ans. Stat Deo sua bonitas, etiamsi efficiat in dies, ut Christi fideles panem, et vinum in Sacramento altaris extare percipiant, quin revera ibi existant; Ergo, a pari stat Deo etc.

§. *398.* R. neg. consm., et parit. Disparitatis ratio latissima est. Deus enim dum efficit, ut fideles adorabile Christi Corpus et sanguinem sumentes, nihil degustent, quam panem et vinum, eos profecto non decipit, quia illos antea admonuit, non panem, et vinum, sed venerabile Christi corpus, et sanguinem in Eucharistiae Sacramento asservari. Profecto nec Actores in scena, adstantes ludificant, dum quidquam exhibent, perinde ac si tunc fieret, eo quia omnes ad theatrum commonefacti accedunt, non res illic agi, sed solum repraesentari. At res contra se habet in casu nostro. Neque enim nos Deus admonuit, non realem esse, sed apparentem aspectabilem hanc Mundi machinam; quinimo talem nobis naturam indidit, a qua vehementissime impellimur, ut credamus corpora existere; Ergo si non existerent, Deus vere nos falleret.

§. *399. Contra.* Atqui Deus etiam manifestavit res hujus Mundi, Mundum totum, hominem ipsum non esse,

nisi puras imagines, vanitates, apparentias, umbras, figuras etc. Ergo n. r. Prob. subsm. In libris, in quibus Catholici ostendunt contineri divinas manifestationes, seu revelationes, haec habentur: et primo de homine legitur: *Homo vanitati similis factus est* (*Psal. 143. v. 4.*): *Vanitas omnis homo vivens* (*Psal. 38. 6.*): *In imagine pertransit homo* (*ib. 7.*): De hominibus divitibus, et divitiis: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Psalm. 75. v. 6.): Vita etiam ipsius hominis quid est? legitur in Epistola S. Iacobi (Cap. 4. v. 15.): *Vapor est et ad modicum parens*: De Mundo autem toto legitur in Epistola 1. D. Pauli ad Corinthios (Cap. 7. v. 31.), quod sit figura, et apparentia praeteriens: En verba: *Praeterit figura hujus Mundi*; Ergo etc.

§. *399.* R. Cum Sacrae Literae ubique praedicent corporum, rerum nempe sensibilium, hanc Mundi machinam componentium, existentiam, ut ab ipso initio, earum creationem, expressis verbis intonent: *In principio creavit Deus Caelum, et Terram* etc., nihil insulsius excogitare poterant adversarii, quam Sacrarum literarum Oraculis corporum existentiam impugnare. Sane in argumento allata, et quae alia afferri possent ejusmodi, nihil aliud indicant, quam labilitatem, atque miseriam rerum terrenarum, relate ad bona sempiterna, et Caelestia; praesentis vitae brevitatem, relate ad vitam illam aeternam, quae mortem ullam non timet; nihil que aliud insinuant quam ut divitiis cor non apponamus; ut virtutibus adhaereamus; ut dum tempus habemus, operemur bonum; ut ad vitam interminabilem in Caelis nos servemus; ut cor nostrum ad Deum, atque oculos ad Patriam Caelestem intentos habentes, vivamus in hoc Mundo tamquam hospites, et peregrini, et Mundo ita utamur, quasi non uteremur. Haec itaque, nihil aliud significant testimonia laudata. Revera in Psalmis ipsis, clarissimis testimoniis, corporum existentia comprobatur. Et D. Paulus inter alia pro corporum existentia, laudata in Epistola (Cap. 9. v. 27.): *Castigo*, ait, *corpus meum*. S. Iacobus tandem (Cap. 2. v. 16.), danda esse ait, quae necessaria sunt corpori. Piget plura hic addere. Nam, ut caetera sileam:

Che il corpo abbia real la sua esistenza
Qual pruova vuoi maggior, se a sensi credi?
Palpalo e col palpar abbi credenza;
Che 'l tocchi colla man, cogli occhi 'l vedi. (Nicol. Graniti Philos. poet. Can. I. stan. 27.) (*a*).

EXERCITATIO II.

De Scientiae, seu Veritatis Criterio.

§. 400. Exsibilatis Acathalepticis, Accademicisque profligatis, nec non statuta apud homines plurium sive intelligibilium, sive sensibilium scientia, operae pretium est videamus, quonam signo nos scientiam nactos fuisse dignosci possit. Praesens itaque Exercitatio duobus Capitulis constabit. In quorum primo, Criterii notionem et conditiones explicabimus; atque recitatis de Criterio Philosophorum sententiis, eas ad examen revocabimus. In altero autem nostram sententiam statuemus.

(*a*) De scientiae existentia adversus Scepticos plurimi Auctores pertractant; inter eos Philosophus noster consulere poterit Laurentium Duhan Quaest. 1. *de existentia Philosophiae*. Ludovicum Antonium Muratorium in Lib. *La forza dell' Intendimento umano*. P. Ferrarium T. 1. Quaest. III. P. Josephum Tamagna Tom. 1. Inst. Phil. Ontol. 1. P. Laurentium Altieri Tom. 1. Log: P. altera Cap. 1. P. Antonium a Cavis Tom: 1. Elem. Phil. Log. Cap. 2. et P. I. Metaph. Cap. 1. 2. 3. Josephum Jo: Potestium Inst. Phil. Tom. 1. Log. Par. II. P. Carolum Iosephum a S. Floriano Ontol. Sect: I. Art. IV.

CAPUT I.

De Criterii notione, et conditionibus; atque de variis circa illud Philosophorum Placitis.

§. *401. Def. 1. Criterii* nomen graecum, Latinis nihil est, quam *nota*, *signum*, sive *character*.

§. *402. Schol.* Nonnullis Philosophis placet, Criterium qua tripliciter distinguere; nempe, ut aiunt; Criterium *quod*; criterium *per quod*; criterium *secundum quod*; et tandem criterium *quo*. Per primum, intelligunt subjectum illud, quod veritatem investigat; ut *homo* Ex. gr. Per secundum, ejusdem subjecti facultatem illam, per quam veritas comparatur, ut est in ipso homine intellectus; Per tertium, ejusdem facultatis operationem, ut intellectio. Per quartum tandem intelligunt signum illud, sive regulam, vi cujus veritas a falsitate secernitur. Nos hoc ultimo sensu Criterium usurpamus. Quare.

§. *403. Def. 2.* Criterium, hic nobis, est naturale signum veritatis, vi cujus noster Intellectus certus, ac tutus evadit de ejusdem veritatis assequutione.

§. *404. Schol.* Porro ineptiant quantum velint Acathaleptici, Criterium hoc extare, nulli dubium esse poterit. Esto namque ipsi dicant se nihil scire, de omnibus dubitare, rem nullam comprehendi posse, ne frustra id dicere videantur, velint, nolint, debent aliquam recognoscere regulam, qua ducti talia proferant. At quodnam sit statuendum hujusmodi Criterium, variae sunt

Philosophorum opiniones.

§. Petrus Daniel Huetius (Lib. 1. Quaest. Alnetan.), solam Divinam Auctoritatem, utpote infallibilem, scripsit esse veritatis Criterium. Epicurus Asclepiadem secutus, cum tota suorum gregalium turba, solos sensus veri criterium statuit. Hinc T. Lucretius Epicureus Philosophus,

. . . . *A* sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensu posse refelli

decernit, itaut quidquid a sensibus deprehenditur, verum est, seu ut testatur Tullius (Lib. 4. Acad. Quaest. Cap. 7. (: *Quidquid videtur*, *tale esse dicitur*; *quale videtur*. Contra Pythagoras, Thales Milesius, Parmenides, Heraclitus, Xenophanes, aliique, veritatis criterium, solam humanam rationem esse, affirmarunt. Aristoteles, Theophrastus, et vulgus Peripateticorum, Speusippum, et Zenocratem, Platonis discipulos, secuti, sensum simul et rationem veri Criterium posuerunt. Cartesius claram et distinctam perceptionem; Malebranchius vero eam evidentiam, quam interna animi coactio sequitur, ut assensum denegare nequeamus Criterium veritatis dixerunt. P. Franciscus Iacquier, P. Ferrarius, P. Carolus Josephus a S. Floriano, Logicae regulas ajunt veri criterium. Leybnitius rem hanc clarius enuncleavit, atque in triplici evidentia intellectus, sensus, et auctoritatis, Criterium veritatis constituit. Non desunt alii, qui alia excogitaverunt criteria, irrito tamen conatu. Atque haec sunt Philosophorum sententiae, quas sigillatim ad trutinam revocabimus.

§. 406. *Animad*. Ut criterium sit naturale veritatis signum, hae in eo necessario requiruntur conditiones. Prima ut sit semper cum veritate conjunctum, et ab ea inseparabile, alioquin nec tutum, nec naturale foret veritatis distinctivum. Secunda, ut sit clarior caeterarum veritatum proprietas infallibilis, ac nulli obnoxia errori, secus alio signo indigeret, a quo dirigeretur, quod plane repugnat. Tertia tandem, ut ad omnes veritates se se extendat, alioquin non erit naturale signum veritatis; quippe naturale signum semper ac necessario cum re significata conjunctum esse debet; adeoque ubi signum, ibi res signata sit oportet.

THEOREMA I.

Sola Auctoritas Divina nequit esse Veritatis Criterium.

§. *487. Demonst.* Nam auctoritas Divina est quidem veritatis infallibile argumentum; at quando? Quando utique, certo et infallibiliter constat, Deum revera locutum fuisse (§. 320). Igitur ut Deo revelanti plane adquiescamus, debet primo certo nobis constare, Deum revera aliquid revelasse. Sed quomodo id nobis constabit? non quidem auctoritate Divina, quia hoc in casu probaretur idem per idem; Igitur alio signo, alia regula, uno verbo, alio criterio; Sed criterium debet esse clarissimum, ut nullo alio signo indigeat (§. 406.); Ego sola etc. Q. E. D.

THEOREMA II.

Soli sensus veritatis criterium esse non possunt.

§. *408. Demonst.* Veritatis infallibile criterium debet esse semper cum veritate conjunctum, et ad omnes veritates se extendere (§. 406.); Atqui sensus nec semper vera referunt; nec ad omnia examinanda pertingunt; Ergo etc. Prob. min. quoad primam partem. Si sensui interno credimus, non in consilium adscita ratione; dolores, et voluptates, non in cerebro sentimus, sed in ea corporis parte, in qua impressio sive molesta, et violenta, sive placida, et blanda facta est, neque solus sentit animus, sed corpus; cum tamen solus animus dolore, et voluptate afficiatur, et quidem in solo cerebro. Similiter sensus omnes externi colores, sapores, odores, sonos, frigus, colorem, caeterasque sensibiles qua-

litates, veluti reipsa corporibus inexistentibus referunt; quae interim in nobis non sunt, nisi sensationes nostrae, in corporibus autem sunt vires, sensationes illas producendi, seu excitandi. Praeterea, juxta oculorum relationes, corpora extra nos videmus, non in imaginibus intra nos depictis. Sol bipalmaris est diametri; stellae fixae, quae non plus luminis, quam e lucernarum exiguis flammis emanare solet, emittere videntur, lucernas ipsas mole non excedunt. Sol, Luna, Mercurius, caeterique planetae, ac stellae fixae, aut aeque, aut fere aeque distant a nobis, quae omnia falsissima sunt (§. 197.): Ergo etc. Prob. quoad secundam partem. Ac 1. sensus ad intelligibilia, et abstracta, puta Deum, mentem humanam, axiomata, theoremata geometrica etc. percipienda non se extendunt; 2. ultra rerum corporearum corticem, et accidentia non penetrant sensus, rerum essentias non attingunt; 3. ea, inter quae non multum est discriminis, non internoscunt 4. tandem innumera sunt entia corporea, quae omnem sensuum aciem fugiunt, uti sunt, quae microscopiis, et telescopiis quotidie deteguntur, et alia pene infinita, quae etsi neque sensibus instrumentorum ope adjutis subjici queant extare tamen certissime credendum est; Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA III.

Sola humana ratio statui nequit veritatis criterium.

§. 409. *Demonst.* Nam vel rationis nomine intelligitur ipse intellectus, sive vis illa mentis, qua ipsa percipit, judicat, ratiocinatur etc. (§. 19.), vel tantum facultas nexum rerum, et veritatum distincte perspiciendi. (§. 12.); seu facultas, qua ex positis principiis, vel ex dato idearum numero, quod verum, quod falsum sit definimus, prout quod principiis, aut ideis illis conforme, aut difforme cognosimus; Atqui neutrum veritatis criterium esse potest; Ergo etc. Prob. min: Et 1. ut intellectus dici posset veritatis criterium, semper et necessario de-

beret consequi veritatem (§. 405.); atqui illam semper non consequitur, quippe idem est in omnibus hominibus, et interim nimis pauca sunt, in quibus certo admittendis conspirant simul omnes; Ergo etc; 2. ut facultas illa nexum rerum etc., veritatis criterium statui posset, nobis certo constare deberet, mentem nostram, nexum, distincte, vere, atque realiter perspicere; Atqui per rationem ipsam id constare nequit, neque constat, cum vel ipsi sapientissimi viri decepti fuerint, putantes se nexum rerum distincte vidisse, adeoque vera esse quae pronuntiabant, cum tamen non essent nisi falsa, et absurda; ergo ad hoc mens alio signo indiget; adeoque etc. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Neque sensus simul, et ratio veritatis generale Criterium constituere possunt.

§. *410. Demonst.* Nam cum sensus neque ad omnia pertingant, neque semper vera referant (§. 408.), superest ratio sola, ad quam confugiatur, ut et dijudicet ea, quae examinari per sensum non possunt, ut errantem quoque sensum emendet; Atqui sola ratio non potest tutto id praestare (§. 409.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA V.

Clara, et distincta perceptio non est veritatis criterium.

§. *411. Demonst.* Nam si clara et distincta perceptio foret veritatis criterium, quod clare, et distincte percipitur, semper et necessario verum esse deberet (§. 406.); quippe ubi criterium, ibi veritas; Atqui tale non est; Ergo etc. Prob. min. Experientia compertum est, quod

eadem res, quae ab uno clare percipitur, alteri obscurissima videtur; et quae quandoque clara, et distincta existimatur, postmodum tenebris involuta censetur; (§. 371.) Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA VI.

Pleraeque Logicae regulae omnino rectae non sunt.

§. *412. Demonst.* Inter Logicae regulas, quae ad ratiocinationem pertinent, quatuor certe potissimum recensentur, quae his versibus comprehenduntur:

1. Nihil sequitur geminis ex particularibus unquam.
2. Sit parti similis conclusio deteriori.
3. Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
4. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.

Atqui hae regulae omnino falsae observantur; Ergo etc. Prob. min. Prima regula sequenti concludentissimo syllogismo evertitur:

1. Aliqua Caelestia corpora aequantur Soli;
2. Sed alia Caelestia corpora non aequantur Soli;
(Ergo
3. Omnia Caelestia corpora non aequantur inter se.

In quo ex geminis praemissis particularibus, particularis legitima conclusio sequitur. Secunda regula, falsa ostenditur hoc alio syllogismo:

1. A differt. a B.
2. C non differt a B. Igitur.
3. A differt a C.

In quo conclusio cum sit affirmativa, non sequitur deteriorem partem, et tamen rite procedit. Tertiam regulam destruit syllogismus, qui sequitur.

1. Linea A non excedit lineam B.
2. Linea B non excedit lineam C. Igitur
3. Linea A non excedit lineam. C.

*

In quo ex duabus praemissis negativis, negative, et quidem rite concluditur. Tandem quarta regula falsitatis convincitur hoc concludentissimo syllogismo;

1. Linea A est perpendicularis lineae B.
2. Linea C. est perpendicularis eidem B.
3. Itaque linea A. non est perpendicularis lineae C.

In quo ex praemissis affirmativis conclusio negativa deducitur. Ergo etc. (*a*).

THEOREMA VII.

Regulae Logicae non sunt omnino necessariae ad veritatem inveniendum.

§. *413. Demonst.* Nam ex consensione omnium Philosophorum, in evidenti experientia fundata, Logicae artificialis (§. 32.) regulae, non sunt simpliciter necessariae, saltem ad aliquas scientias acquirendas; Ergo ad omnes veritates non se extendunt; adeoque etc. Praeterea Logicae regulae sunt quaedam propositiones, quae sicuti et aliae omnes propositiones, veritatem, aut falsitatem continent, sed eam veritatem, aut falsitatem noscimus, atque internoscimus sine ulla ope Logicarum regularum; Ergo etc. Q. E. D.

(a) Cum haec ita se habeant, placere utique omnino non potest Clariss. *P. Josephi Tamagna* Propositio ita exposita in *Ontol.* Art. *3. Regulae logicales sunt optimum veritatis criterium ad detegendas eas veritates, quae primo intuitu perspicuae non sunt.*

THEOREMA VIII.

Regulae Logicae non sunt veritatis generale criterium.

§. 414. *Demonst.* Regulae Logicae non sunt semper cum veritate conjunctae, quippe ex illis praecipuae sunt falsae (§. 412.). Deinde non sunt simpliciter necessariae ad veritatem inveniendam (§. 413.). Tandem sunt sicut et aliae omnes propositiones, de quibus quaeri potest an sint verae vel falsae; quare indigent potius criterio, quam sint ipsae veritatis criterium; Ergo etc. Q. E. D.

CAPUT II.

Veritatis generale criterium statuitur.

§. 415. *Animad.* 1. Ut ea quae in hoc capite de veritatis criterio dicturi erimus, ut par est, intelligantur memoriae tenenda sunt, quae superioribus capitibus de evidentia (§. 348.); De veritatis criterio (§. 402. 403.); ejusque necessariis requisitis (§. 406.), dicta sunt.

§. 416. *Animad.* 2. Evidentia licet sit clarissima, atque perspicua rei manifestatio menti facta (§. 348.); non omnis tamen evidentia talis, est vera; sed aliquando est deceptrix et falsa, quae pro veritatis criterio statui nequit, quippe eam aliquando secuti non pauci Philosophi, nedum veritatem non invenerunt, sed horribilibus errorum tenebris se obvolverunt. Quare ut vera ab apparenti et falsa evidentia secernatur, sequentes conditiones in evidentia, ut vera dici possit, Philosophi requirunt. Prima, ut oriatur a mente super omnia, quae in re sunt, attendente, ac reflectente, seriumque examen supra id, de quo agitur, instituente. Secunda, ut sit conjuncta cum conscientia pacata, atque ab omni affectu, vel

praejudicio spoliata. Tertia, ut cum sensu, seu consensu hominum optimorum communi, concordet. Quarta tandem, ut quod cognitum est, ita percellat intellectum, ut mens non solum ei adequiescat magna cum pace, et tranquillitate, sed etiam ut cogatur ad judicandum ita esse.

§. 417. *Schol.* Evidentia huiusmodi vel est de rebus metaphysicis, vel Physicis; et utraque vel *simplicis intuitionis*, vel *demonstrationis*.

§. 418. *Def.* 1. *Evidentia metaphysica est illa summa ac vividissima perspicuitas, qua cernit mens, ita datum attributum dati subjecto convenire, aut disconvenire, ut ejus repugnantia, nec inspecta Divina potentia, sit possibilis.* Haec autem obtinet in rebus intelligibilibus; hoc est illis, quae pura intellectione, a sensibus, et phantasmatibus abstracta, animo concipiuntur.

§. 419. *Def.* 2. *Evidentia physica est illa summa, ac vividissima perspicuitas, qua percipit mens, attributum ita subjecto convenire, ut ejus oppositum, inspectis tantum naturae legibus, sit prorsus impossibile.* Atque haec per sensus integros, et valentes habetur, et in rebus dumtaxat physicis obtinet.

§. 420. *Def.* 3. *Evidentia simplicis intuitionis, sive immediata, est illa; quae primo veluti intuitu ostendit menti necessariam inter ideas connexionem, aut repugnantiam*; cujusmodi esset, in intelligibilibus, evidentia axiomatum, eorumque omnium, quae intima conscientia percipiuntur, ut *nos esse*, *cogitare*, *affectibus agitari* etc.; in physicis autem, et sensibilibus evidentia eorum, quae clara externa sensatione cognoscuntur, veluti *corpora existere*, *Solem splendescere*; *ignem stuppam comburere*; *corpus non suffultum cadere.*

§. 421. *Def.* 4. *Evidentia demonstrationis, vel mediata, est illa, quae necessariam connexionem, vel repugnantiam inter ideas detegit, ope idearum, mediarum sive, demonstratione* (§. 302.); talis est evidentia, qua veritates geometricas cognoscimus.

§. 422. *Schol.* Fidei quoque sua inest evidentia, non quidem intrinseca, et qua mens videt relationem inter subjectum, et attributum propositionis, quam credimus, cujusmodi est evidentia physica (§. 419.), vel metaphy-

sica (§. 418.), sed extrinseca, et moralis; qua scilicet intuetur mens, propositionem aliquam niti testimonio, quod aut fallere nequeat, aut non fallat (§. 321.); ac proinde credendam esse; ita evidens est extitisse olim Caesarem, et Pompejum, et Alexandrum, et Darium etc., non tamen evidentia intrinseca, quasi connexionem videamus inter ideas Caesaris, Pompej, Alexandri, Darii etc., sed extrinseca, et morali, quatenus scilicet, perspicue cognoscimus, perpetua, atque constanti traditione, nemine refragante, Caesaris, Pompej, et Darii existentiam.

§. 423. *Animad.* Fidei moralem evidentiam, moralis certitudo (§. 290.) consequitur. Et quidem quae certitudo oritur ex evidentia Fidei divinae, metaphysica est, et summa; quae vero nascitur ex evidentia Fidei humanae, physicae aequivalet. Nimirum, quod Dei testimonio constat, fieri omnino non potest, ut verum non sit (§. 320.); quod autem plurimorum hominum et sapientum, et proborum testimonio innititur, videtur, falsum reddi non posse (§. 322.)

THEOREMA I.

Evidentia ad omnes pertingit veritates.

§. 424. *Demonst.* Omnes veritates vel sunt rerum mere intelligibilium, vel rerum sensibilium; vel moralium, sive historicarum; Atqui in veritatibus primi generis locum habet evidentia metaphysica (§. 418.), vel intellectus; in veritatibus secundi generis locum habet evidentia physica, sivo sensuum (§. 419.); in veritatibus vero tertii generis evidentia moralis, seu auctoritatis; (§. 422.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA II.

Evidentia metaphysica simplicis intuitionis est semper cum veritate conjuncta.

§. 425. *Demonst.* Evidentia metaphysica intuitionis pertinet ad judicia immediata, quae a nobis fiunt de rebus pure intelligibilibus, seu de puris ideis (§. 420.); sed judicia immediata, et evidentia, quae a nobis fiunt de puris ideis nostris, sunt necessario vera, veritate formali (§. 43.), cui nulla unquam correspondere potest falsitas formalis; igitur evidentia etc: Q. E. D. (a)

(a) In rebus itaque intelligibilibus, quae vel ideales sunt, vel cum idealibus necessario connexae, error dari numquam potest, modo evidentiam intellectualem sive metaphysicam sequamur. Quare sive quis dormiat, sive vigilet, si evidenter sibi videatur dolore affici, reipsa afficitur in animo. Sive quis mente sit sanus, sive insanus, recta procedit in judiciis, et ratiociniis suis idealibus, modo ab evidentia ducatur. Ideae in insano capite distortae esse poterunt: at juxta eas ideas optima erunt judicia, et ratiocinia si fuerint evidentia. Hinc scientiae mathematicae, nulla unquam in parte, errorem admittere possunt; versantur enim circa ideas puras, neque de iis statuunt, nisi quod in ideis claris clare percipitur. Eadem est ratio disciplinarum metaphysicarum. Si in iis datur error, est quia pronuntiare volumus de iis, ad quae evidentia non extenditur. Ita fallitur, qui pronunciat haerere dolorem in digito. Se dolore cruciari, certum est, quia evidens est per internam sensationem, qua animus immediate percipit in se dolorem, at haerere dolorem in digito, non est similiter evidens, cum digitus per internam sensationem percipi non possit; nam per sensum intimum percipiuntur tantum, quae in anima ipsa immediate contingunt. Similiter si judicem me cogitare, esse in me cogitandi principium; hoc principium diversissimum esse a corpore debere, et concludam, mentem meam incorpoream esse tum et corruptionis expertem, veritatem ubique assequor, et certissimam, quoniam ab evidentia ducor. Verum si determinare deinde velim, quomodo mens corpori copuletur, illud moveat, et regat, tum facile fallor, quia ab evidentia destituor. Generatim ergo omnia judicia, quae de rebus intelligibilibus feruntur, verissima sunt, si relatio inter ideas intercedens clarissime percipiatur; omniaque pariter ratiocinia necessario vera concludam, si ex judiciis evidentibus id tantum deducatur, quod cum iis evidenter percipitur connexum.

THEOREMA III.

Evidentia metaphysica demonstrationis est semper cum veritate conjuncta.

§. 426. *Demonst.* Evidentia metaphysica demonstrationis, seu mediata pertinet ad judicia, quae a nobis fiunt de rebus per solam necessariam earumdem connexionem evidenter perceptam eum ideis puris. Sed quaecumque connexio necessaria evidenter percipitur inter ideas puras, necessario talis est, qualis percipitur, cum sit ipsa connexio percepta, quae nequit esse a seipsa diversa. Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Evidentia physica, seu sensuum immediata semper cum veritate conjungitur.

§. 427. *Demonst.* Si aliquando falsum esset id, cui necessario cogit immediata sensuum evidentia, jam necessario falleremur. Sed si necessario falleremur, error in Deum nostrae naturae auctorem refundi deberet; quod abhorret quammaxime ab idea Dei, Entis nempe perfectissimi, qui in nobis decipiendis delectari non potest (§. 384.); Ergo etc. Q. E. D.

TEOREMA V.

Evidentia sensuum mediata, semper cum veritate objectiva conjungitur.

§. 428. *Demonst.* Evidentia sensuum mediata, seu demonstrationis tota continetur in ratiocinio evidenti super ideis sensuum evidentibus. Sed ratiocinium, si est evidens, semper recte procedit in ideis (§. 426. in N. a.):

aliunde vero ideae ipsae, quia per evidentem externam sensationem partae, congruunt rebus corporeis in universo existentibus (§. 427.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA VI.

Evidentia auctoritatis, seu moralis cum veritate semper conjungitur.

§. *429. Demonst.* Evidentia moralis, seu auctoritatis tunc habetur, quando evidens est 1., factum aliquod, aut generatim propositionem aliquam niti testimonio; et 2. testimonium ipsum aut fallere non posse, aut non fallere (§. 422.); Sed evidens est evidentia intellectuali, atque adeo certissimum (§. 425.), verum esse quidquid nititur testimonio, quod deficere non possit, aut non deficiat; Ergo etc. Q. E. D.

PROPOSITIO

Generale veritatis criterium est Evidentia; et quidem metaphysica in veritatibus metaphysicis, Physica in physicis, moralis in moralibus.

§. *430. Demonst.* Evidentia habet omnes veri criterii conditiones (§. 406.); ergo etc. Prob. ans. Evidentia est 1. per se clarissima (§. 434.); 2. ad omnes omnino veritates se extendit (§. 424.); et 3. est semper cum veritate conjuncta, (§. 425. et seq.); Ergo etc. Q. E. D.

Solvuntur opposita argumenta.

§. 431. Obijc. 1. Criterium debet se extendere ad omnes veritates; Sed multae sunt veritates, quae non subjacent evidentiae; Ergo falsa propositio.

§. 432. R. dist. min. Multae etc., quae non subjacent evidentiae, immediatae, sive intuitionis, conc.; evidentiae etiam mediatae; n. ans.; Ergo etc.. n. consm. Non omnis evidentia est immediata, et intuitionis, qualis est in iis, quae intima conscientia percipiuntur, in axiomatibus intelligibilibus, et iis, quae clara externa sensatione cognoscuntur (§. 420.); sed est etiam evidentia mediata, seu demonstrationis, quae locum habet in iis, quae patent demonstratione instituta veluti super principiis, et super iis, quae per intuitivo-intellectualem, et intuitivo-sensualem evidentiam cognita sunt. Quare si multae sunt veritates, quae intuitivae evidentiae non subsunt, nullae tamen sunt, quae saltem mediatae evidentiae non subijciantur.

§· *433. Contra.* Atqui multae sunt veritates quae nequidem evidentiae meditatae subiiciuntur; Ergo n 1. Prob. subsm. Veritates de existentia spirituum animalium in corporibus hominum, atque brutorum: de absoluta corporum caelestium magnitudine, et aliae innumerae, nedum evidentiae intuitionis, sed et demonstrationis, non subijciuntur; Ergo multae etc.

§. 434. R. Dist. ans. Et veritates illae sunt veritates probabiles, conc. ans; sunt veritates certae, nego ans. Ergo multae etc., dist. pariter cons. Multae sunt veritates probabiles; quae etc., conc. consm, veritates certae, n. consm. Cum nos criterium veritatis statuimus in evidentia sive immediata, et intuitonis, sive mediata et demonstrationis, non de veritate probabili, sed de veritate certa loquimur. Dum enim veritas aliqua limites probabilitatis non excedit, ab ea utique exulat evidentia; si namque in ea, evidentia affulgeret, probabilis ultra non foret, sed certa, et evidens. Cum ergo laudatae in argumento non sint, nisi veritates tantum probabiles, mirari non debemus, si desit eis evidentia.

§. 435. *Contra*. Atqui in veritatibus etiam certissimis neque immediata, neque mediata reperitur evidentia; Ergo n. r. Prob. subsm. Veritates, quae Divinae auctoritati innituntur, sunt procul dubio certissimae; sed in iis neque immediata, neque mediata evidentia reperitur; Ergo etc.

§. 436. R. dist. min.; sed etc. neque immediata, neque mediata intellectus, et sensus reperitur evidentia, conc. min., evidentia auctoritatis, n. min., ergo etc., n. consam. Statuentes nos veritatis criterium in evidentia, non intelligimus, nec intelligere possumus omnem, et cujuslibet generis evidentiam, ad omnes omnino veritates, eodem modo, se extendere, easque complecti, sed evidentiam metaphysicam pro intelligibilibus, physicam pro sensibilibus, moralem vero pro historicis, et credibilibus, criterium veritatis statuimus. Hinc fatemur et nos, veritates, quae auctoritati innituntur, Evidentiae metaphysicae, et physice non subijci, sed evidentiae morali. Siquidem fidei quoque etc. (§. 422.).

§. 437. Objic. 2. Veritatis criterium debet esse semper cum veritate conjunctum; Atqui talis non est evidentia; Ergo evidentia etc.

§. 438. R. conc. maj., dist. min. Atqui talis non est evidentia fucata, et apparens, caracteribus verae evidentiae destituta, conc.; evidentia vera, mentisque attendentis, atque reflectentis, n. min. Ergo etc., n. consm. Non raro evenit nobis videri tanta luce intellectum nostrum in aliqua re perfundi, ut per caput nostrum jurassemus ita esse, cum interim illa falsa prorsus existat. At hoc in casu, error nobis tribuendus est, qui vel affectibus agitati, vel praejudiciis occupati nubem, ut ajunt, pro Junone accepimus, apparentem nempe evidentiam, non autem veram sequuti fuimus. Hoc autem nostram sententiam non infirmat, qui in evidentia vera, mentisque attendentis, atque reflectentis, veritatis criterium reponimus.

§. 439. *Contra*. Atqui etiam evidentia vera, mentisque attendentis, et reflectentis non semper cum veritate conjungitur; Ergo n. r. Si quod est principium, in quo maxima relucet evidentia, certe est illud, quod

etiam primum cognitionum nostrarum principium appellant; nempe: *impossibile est idem simul esse, et non esse.* Atqui posita divinarum personarum pluralitate in unitate naturae, falsum dignoscitur tale principium, et verificatur, idem posse simul esse, et non esse; Ergo etc. Prob. min. Posita divinarum personarum pluralitate in unitate naturae, Divina natura incommunicabilis simul foret, et communicabilis: incommunicabilis, quia numerice essentialiter una; communicabilis vero; quia pluribus communicatur personis: ita personae essent aequales, et non aequales; illarum quippe una generaret, minime vero alia; Atqui communicari, et non communicari, esse aequale, et non aequale, idem est ac verificari idem posse esse, et non esse simul; Ergo posita etc.

§. 440. R. Huic argumento, cui tam fidunt adversarii, respondere possemus, humanam rationem caecutire, ubi agitur de fidei nostrae mysteriis, et praesertim de illo SS. Trinitatis: quare erit verum contradictionis principium, quin SS. Mysterium corruat, et e contra; modum autem, quo ea invicem concilientur, nos ignorare. Verum ne putent, nos argumenti pondere pressos, velle tergiversare, et impune abire,

R. 2. Dist. min. Communicari etc. ei rei secundum eamdem formalitatem inspectae, idem est, etc., conc. min., secus, n. m., et consam. Quam longe a vero abeant adversarii tali argumentandi genere, is tantum ignorat, quem latet quoque id, quod requiritur, ut verificari possint contradictoriae, cujusmodi est illa in argumento allata. Ut igitur per veram evidentiam, quae relucet in illo principio. *Non potest idem simul esse, et non esse,* decipiamur, opus est, ut idem simul sit, et non sit de eodem, penes idem, secundum eamdem formalitatem. Quod si una, aut altera ex iis conditionibus deficiat, nulla prorsus ratione falsum existimari debet. Ad rem itaque. Divina natura est utique communicabilis, sed talis est per inexistentiam, idest sine numerica sui multiplicatione, seu sine divisione sui, quae communicatio non tollit a natura divina identitatem numericam; incommunicabilis vero per indifferentiam, idest cum numerica sui multiplicatione,

sive cum sui divisione. Porro communicare per inexistentiam, et non communicare per indifferentiam, non est verificari idem simul esse et non esse; nam divina natura communicatur penes diversa motiva, sive penes diversas formalitates. Ita quoque de aequalitate, et inaequalitate personarum dicendum est. Etenim si personae respiciantur secundum naturam, procul dubio aequales sunt, si vero quoad purum esse personale; erunt certo inaequales; quod quidem non cadit ad rem, cum aequalitas, et inaequalitas referantur ad diversa objecta. Porro ut caetera, quae prima fronte contradictoria apparent, solvantur argumenta, prae oculis habendum est, duo in divinis distingui debere, *natura* videlicet, et *persona*. Neque enim implicat aliquid de natura verificari, quin de personis etiam verificetur; aut aliquid verificari de natura sigillatim sumpta, non autem de natura una simul cum personis, et e contra; sicuti de facto verificatur de natura scorsim inspecta, quod sit communicabilis; incommunicabilis vero prout connotat paternitatem, haec enim etiam cum divina natura unita, semper manet incommunicabilis. Tantum ergo abest, per laudatum in argumento exemplum evinci, quod vera evidentia non sit veritatis criterium, quin potius magis, magisque salva, tectaque manet nostra thesis

§. 441. Contra. Atqui etiam admissa distinctione in divinis, ut in responsione, adhuc tamen falsum dignoscitur principium illud, caeteroquin evidentissimum: *Impossibile* est etc. Ergo stat argumentum. Prob. subsm. Verificatur in divinis, quod filius sit filius, et simul non filius, sed pater, verificatur quoque, quod filiatio non sit filiatio, sed paternitas; Ergo etiam etc. Prob. ans. ita ratiocinando: *Hic Deus est Pater*; *sed filius est Deus*; *Ergo filius non filius sed pater est.* Item: *Deitas est paternitas*; *Filiatio est deitas*; *filiatio igitur non est filiatio*, *sed paternitas*; Ergo verificatur etc.

§. 442. R. Neutrum ex allatis argumentis aliquid adversus nos concludit. In his quippe, aliisque id. generis, aliqua semper fallacia reperitur. Et quod spectat

ad primum argumentum; vel tò *hic Deus* in majore sumitur pro patris supposito; sicque minor, idest *filius est hic Deus*, falsa est, eo quod non sit pater; vel tum in majore, cum in minore usurpatur pro natura singulari; et hac in hypotesi, vox illa *pater* in majore denotat, non reduplicative personam, sed individuum, includens simul personam, et naturam. Sic in consequentia habetur termini mutatio; cum in ea adversarii accipiant illud vocabulum *pater*, prout talis persona est; sive reduplicative pro persona, quod est contra Can. 1. §. 238. Eadem via secundum resolvitur argumentum, cum in eo nulla sit a primo differentia, nisi quod termini in secundo usurpentur abstracte, concrete autem in primo. Porro cavillationes contra nostram sententiam afferri possunt, solida vero argumenta nequaquam (*a*).

EXERCITATIO III.

De origine scentiae, seu Philosophiae

§. *443. Animad.* De scientiae, sive Philosophiae origine in hac exercitatione pertractantes, nihil aliud discutere debemus, et examinare, quam hoc; fuerit ne Philosopia semper studio, ac labore ab hominibus comparata, uti factum communiter novimus, vel potius a Deo alicui per infusionem impertita? Et quoniam haec est materia facti; quae ad historiam pertinet, non miretur quis, si in ea evolvendà historia, et quidem, qua nulla veracitor, quoque utemur. Itaque.

(*a*) Si qui sint, qui alia de hac nostra sententia ediscere cupiant consulere poterunt Clariss. Ant. Genuensem in Lib. Art. Log. Crit. Lib. III. Cap. 3. Iosephum Tamagna Tom. 1. Ontol. Sect. 1. Art. 3. prop. 1. 4. 5. Laurentium Altieri Tom. 1. Log. P. alt. Cap. 2. Iosephum Io. Potestium Log. P. II. Cap. 2. P. Honoratum a Craco Log. Quaest. Cap. III. Quaest. 3.

CAPUT UNICUM.

De primi hominis, sive Adae scientia.

§. *444. Def.* Per scientiam hic intelligimus cognitionem certam et evidentem rerum aeternarum, creatarum, et possibilium; earumque caussarum, effectuum, relationum, finium, et usuum: uno verbo, intelligimus veri nominis Philosophiam (§. 5.)

§. *445. Schol.* Scientia sic accepta, vel *naturalis* est, vel *supernaturalis*; item *actualis*, atque *habitualis.* Tandem *infusa*, et *acquisita.*

§. *446. Def.* 2 Scientia naturalis est illa cognitio certa et evidens eorum tantum, quae intra naturae limites continentur; sive quae res tantum naturales habet pro obiecto; supernaturalis vero est cognitio certa, et evidens eorum, quae naturae limites praetergrediuntur; sive quae res supernaturales habet pro objecto.

§. *447. Def. 3.* Scientia actualis est illa cognitio certa et evidens, quae actu de rebus sive naturalibus sive supernaturalibus habetur. Habitualis vero est illa facilitas, et promptitudo ad aliquid certo, atque evidenter cognoscendum. Hinc

§. *448. Coroll. 1.* Scientia habitualis sine actuali scientia stare postest: Potest enim fieri, et fit ut quis habitu philosophico sive scientifico sit praeditus, quin actu philosophetur, aut aliquid certo, et evidenter noscat.

449. Coroll. 2. Nequit autem infundi scientia actualis; nam hoc in casu si ita non esset, ipsa foret actualis, et non actualis: actualis ut supponitur ex definitione, non actualis quia esset infusa, et propterea passio.

§. *450. Def. 4.* Ignorantia est status mentis cognitione destitutae; aut strictius hic, est carentia scientiae, sive Philosophiae in homine.

§. *451. Schol.* De Adae scientia naturali sive Philosophia, hoc solum Philosophi inquirere solent, quod et nos jam monuimus (§. 443.), an scilicet primo data illi

fuerit a Deo per infusionem, an vero ille opere, atque labore sibi acquisierit. Circa quod sequentes circumferuntur.

Auctorum sententiae.

§. 552. Judaei quidam in exponendis Scripturis, de more fabulantes, dixerunt, primum hominem, non adultum, sed infantem fuisse a Deo creatum sine rationis usu, quomodo nos nascimur, et consequenter omni prorsus scientia orbatum; quippe qui usu fructus arboris scientiae boni et mali eam sibi comparavit. Judaeorum hoc paradoxum secuti fuerunt omnes illi profani Scriptores, qui primos homines, belluarum instar, vitam duxisse, atque in antris habitasse commenti sunt. Hinc Lucretius de primaevis hominibus ita scribit (Lib. V.).

At varios linguae sonitus natura subegit
Mittere et utilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguae,
Cum facit, ut digito, quae sint praesentia monstrent.

Et post aliquibus versibus:

Postremo quid in hac mirabile tantopere, est re
Si genus humanum, cui vox, et lingua vigere,
Pro vario sensu varias res voce notaret?
Cum pecudes mutae, cum denique secla ferarum,
Dissimileis soleant voces, variasque ciere,
Cum metus, aut dolor est, et cum jam gaudia gliscunt.

Non dissimilia habent Vitruvius, Diodorus Siculus, aliique. Brukerus vero, scientiam aliquam primo homini asseruit, at illum vere Philosophum fuisse negat. Non desunt qui primo homini Philosophiam habitualem tribuunt; inter quos Guillelmus Desagumer, at eam ille per infusionem habuisse inficiatur. Quaenam erit nostra sententia, ex modo stabiliendis principiis, clarissime patebit.

§. 453. *Postulatum 1. Primus incola hujus Mundi fuit Adam.* Facti hujus certitudo tali, ac tanta evidentia morali fulget, ut merito exsibiletur undique Pererius, ridiculi systematis Praeadamitarum effector.

§. 454. *Postulatum 2. Adam fuit immediate a Deo creatus.* Nihil certius ex ipsius creationis, omnimode autentica historia, cui refragari, esset omnem historiam e medio tollere. Sed et non deest clara ratio, quae id mirifice confirmat: Nam si Adam non fuisset a Deo immediate creatus, debuisset ab alio generari; Atqui non potuit; Ergo etc. Prob. min. Generatio est productio viventis a vivente; Sed ante Adamum nullus omnino extabat vivens (§. 453.) ejusdem suae speciei; Ergo etc.

§. 455. *Postulatum 3. Homo sua natura duce voluptatem prosequitur, dolorem aversatur.*

§. 456. *Coroll. 1.* Deus ergo hominem ad felicem, beatamque vitam ducendam creavit. Alias frustra nobis felicitatis desiderium indidisset; Adeoque.

§. 457. *Coroll. 2.* Ea omnia homini contulisse dicendus est Deus, quae ad beatam tranquillamque vitam ducendam erant necessaria.

§. 458. *Postulatum 4. Deus primum hominem, innocentia insignitum, postquam creavit, in terrestri Paradiso posuit, ut ibi tranquillam, beatamque vitam duceret.* Nil concessu facilius.

§. 459. *Animad.* Cum hic loquimur de beatitudine, loqui tantum intelligimus de beatitudine naturali, quae in praesenti vita obtineri potest, quaeque consistit in aequabili voluptate, in jucunditate, atque tranquillitate animi, et in alienatione ab omni dolore, et tristitia.

§. 460. *Schol.* Naturalis modo dicta beatitudo ex duobus potissimum proficisci, docent accuratiores Philosophi; nempe 1. ex recto usu rerum ad vitam concessarum; Ad beatam namque vitam, satis non est bonis abbundare, nisi bonis recte utamur; multi quippe sunt, qui bonis abbundant, sed quia iis abutuntur, miseri sunt, atque infelices. 2. In suavi, et perfecta contemplatione Dei ut auctoris naturae, abstractiva nempe, atque ex creaturis veluti emendicata; ex hac enim contemplatio-

ne oritur amor Dei naturalis, caeterarumque virtutum.

§. *461. Corol.* Quoniam ergo beatitudo posita est in statu voluptatis (§. 459.); voluptas vero proficiscitur ex recto usu rerum ad vitam concessarum, et ex contemplatione Dei auctoris naturae (§. 460.), patet 1. eo majorem ac perfectiorem esse beatitudinem, quo major, ac intensior fuerit voluptas; 2. eo majorem voluptatem obtineri, quo magis quisque recte utatur rebus ad vitam concessis; magisque fruatur Dei contemplatione.

§. *462. Postulatum 5. Primus homo a Deo creatus fuit, ut rebus aliis praeesset.* Peroptime Angelicus Doctor (I. P. Summae q. 94. art. 3.): *Sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare; Ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, et gubernare.*

§. *763. Postulatum 6. Primus homo statim ac creatus fuit, rerum gubernium de manu Domini accepit.* sic enim legitur in historia ejus creationis (Gen. 2.): *Adduxit* ea, nempe animalia omnia, *ad Adam, ut videret quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus.*

LEMMA I.

Beatitudo sine sapientia consistere nequit.

§. *464. Demons.* Beatitudo, quae in hac vita obtineri potest, in statu voluptatis consistit (§. 459.); Atqui voluptati repugnat ignorantia; Ergo etc. Prob. min., Ut quis de rebus hujus Mundi voluptatem capiat, oportet ut eas cognoscat, alias ab aliis discernere sciat, earum nexus, effectus, et proprietates distinguat, ut quae bona, quae mala sint, quae utilia, quae noxia intelligat; sicque non erret accipiendo venenum pro antitodo; eo vel maxime quia beatitudo naturalis, non ex quocumque, sed ex recto usu rerum ad vitam concesssa-

rum oritur (§. 460.); Atqui sine sapientia haec omnia obtineri nequeunt; Ergo etc. Deinde beatitudo praesentis vitae nascitur ex contemplatione Dei auctoris naturae (§. eod.); Atqui ad hanc contemplationem nonnisi ex creaturarum abstractiva contemplatione assurgimus; Ergo ut ad Dei contemplationem deveniamus, oportet ut prius creaturarum dotes, et praecellentias cognoscamus; Atqui, subsumo, sine sapientia neque creaturarum dotes, neque creaturas ipsas cognoscimus; Ergo ad Dei comtemplationem assurgere non possumus. Adeoque etc. Q. E. D

LEMMA II.

Homini, sapientia destituto, aliorum regimen non competit.

§. 465. *Demonst.* Qui aliorum regimini praeficitur, oportet omnia, quae sui muneris sunt sciat; quibus proinde legibus, quae aptae sint, uti debeat; quae praecipere, quae vetare; quae proinde subditis noxia sint, quae utilia internoscere, ut illa prohibeat, haec sequatur, et jubeat. Insuper justos praemio, scelestos suppliciis afficere; rebusque omnibus providere, sibique non solum, sed et aliis cavere: uno verbo: *praesidere*, ut ait Ægidius (de regim. prim.) *sicut corpori praesidet anima*, et *amplius, et veluti Mundo praesidet Deus.* Atqui haec, et alia quae aliorum Rectorem vel maxime decent, sine sapientia exequi nequeunt, ut quisque primo intuitu comprehendit; Ergo homini etc.

§. 466. *Scholion.* Haec adeo vera sunt, ut merito dixerit Socrates (Apud Lang. V. Gub.): *Vehementer absurdum esse, ad publicos magistratus admitti, qui numquam dederunt operam disciplinis, sine quibus nemo potest recte magistratum regere.* Nam sicuti (ex Aristotele Lib. 2. Reth.) *ubi Philosophus fuerit Praeses, ibi felix est Civitas*, ita nulla majori clade potest Civitas affligi quam si aliquis stolidus, et imperitus ei

praeficiatur. Quare Salomon, ut primum se vidit ad regimen Iudaici populi assumptum, sapientiam sibi necessarium esse cognovit, illamque a Deo quaesivit et abundanter obtinuit.

PROPOSITIO

Origo Scientiae, seu Philosophiae est a Deo, qui eam Adae primo hominum parenti, et quidem per infusionem, concessit.

§. 467. *Demonst.* 1. Deus primum hominem, ut beatam vitam duceret, creavit (§. 456.), eique omnia illa concessit, quae ad vitam beatam ducendam, necessaria erant, [redacted] (§. 458.); Atqui sine sapientia beatitudo naturalis nequit obtineri (§ 494.); Ergo sapientiam ei contulit; adeoque etc. Deinde Deus primum hominem condidit ut aliis rebus praeesset (§. 462.);) et revera primus homo, statim ac creatus fuit, rerum hujus mundi praesidentiam, et regimen obtinuit (§. 463; atqui homini sapientia destituto, aliorum regimen non competit (§. 465.); Ergo primo homini sapientiam Deus dedit; et consequenter etc.

§. 468. *Demonst.* 2., et praecipue quod talis scientia fuerit infusa. Si talis scientia non fuisset per infusionem, debuisset Adam vel a Magistris eam accipere, vel studio, atque labore sibi comparare; Atqui neutrum dici potest; non primum, quia cum Adam fuerit primus incola hujus Mundi (§. 453.), et immediate a Deo creatus (§. 454.), nullos potuit magistros habere; non secundum, quia multo tempore cum indiguisset, ut scientiam sibi compararet; per totum illud tempus, nedum non fuisset beatus, sed plurimis calamitatibus, et miseriis obnoxius, quae ex ignorantia inevitabiliter enascuntur; Atqui hoc repugnat illi statui, in quo Adam conditus fuit (§. 458.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 466. *Coroll.* Scientia itaque primo hominum pa-

renti a Deo infusa, fuit habitualis; Actualis namque non potest infundi (§. 429.)

Objectiones Adversariorum Solvuntur.

§. *470. Obijc. 1.* Argumentis super Historiam (in fallibilis utique auctoritatis) fundatis conati estis ostendere, primum hominem fuisse a deo scientia praeditum; Atqui nihil confecistis; Ergo falsa propositio. Prob. min. Eadem historia clarissime ostendit, primum hominem fuisse penitus rudem, atque imperitum; Ergo etc. Prob. ans. Eadem historia narrat, primum hominem, desiderio scientiae abreptum, Dei praeceptum violasse; Ergo etc.

§. 471. R. dist ans. Eadem historia etc., desiderio scientiae supernaturalis, et quae maxime augeret, perficeretque scientiam, quam habebat, conc.; desiderio scientiae mere *naturalis*, qua carebat, nego ant., et consni. Cum primus homo Dei praeceptum transgressus est, ut scientiam obtineret, non certe scientiae cujuscumque desiderio tenebatur, sed scientiae supernaturalis, et fere divinae; Et ne ad libitum conficta videatur haec nostra responsio, expendamus cum eadem historia, quid dixerit Evae serpens, ut eam ad peccandum alliceret, quid Eva dixerit Adae, quo motus Adam lapsus est: En verba serpentis: *Eritis sicut Dii scientes bonum, et malum* (Gen. III. v. 22.): Non ergo quamcumque scientiam, sed scientiam fere infinitam ad instar ipsius Dei; scientiam profecto, non vulgarium, sed sublimium, atque reconditarum rerum supernaturalium, ad quas simplex Philosophia, seu naturalis scientia, non pertingit.

§. *472. Contra.* Atqui primus homo, desiderio scientiae naturalis abreptus, Dei praeceptum violavit; Ergo n. r. Prob subsm. Res ita se habet, si primus homo peccavit sub spe, ut sibi, juxta serpentis promissum, aperirentur oculi ad cognoscendum; et si postquam peccavit, oculi ejus jam fuerint aperti. Atqui ex laudata historia, dixit serpens: *aperientur oculi vestri*: et postquam peccavit, habetur, quod *aperti sunt oculi amborum*, Adae scilicet, et suae uxoris, et cognoverunt se esse nudos; Ergo etc.

§. 473. R. dist. maj. Res etc., ad cognoscendas experimentaliter, et practice, conc. ad cognoscendas theoretice, n. maj.; et pari modo dist. min., n. consm. Cum Adam, immediate post creationem ductus fuerit in Paradisum voluptatis, cumque paullo post Evae creationem ipsius tentatio, et lapsus acciderit, certe neque sperimentaliter, neque practice res noverat, licet theoretice scivisse compertum est, ex supra allatis argumentis, et ex eo, quod nomina omnibus animalibus apta imposuerit, quod certe sine Philosophia; scientia nempe rerum naturalium, facere non potuisset. Quod si ipse, et uxor ejus, post peccatum cognoverunt se esse nudos; haec cognitio fuit experimentalis; experti enim fuerunt nuditatem, quae verecundiam et pudorem afferebat, et quam antea non cognoscebant.

§. 474. *Contra.* Atqui primus homo suos oculos habebat clausos, ut nihil omnino, neque practice, neque theoretice cognoverit; Ergo n. r. Si Adam aliquid theoretice cognovisset, illud certe fuisset, se Deo similem fieri non posse, et serpenti loquelam non esse; Atqui nequidem istud, Adam primus homo cognovit; Ergo etc.

§. 476. R. Argumentum hoc, cui magnam vim inesse putant adversarii, nullius plane est momenti. Et sane licet dicamus, Adam putasse, fieri se posse Deo similem, non ideo concludendum, illum fuisse omnino imperitum. Nam primo similitudo illa, quam cum Deo posse se habere putavit, non est attendenda circa naturam et essentiam, quasi putaverit se fieri posse Deum natura, et essentia, sed circa boni, et mali scientiam; ut patet ex verbis ipsius serpentis: *eritis sicut dii, scientes bonum, et malum*; Quod meo videri, non imperitiam, sed scientiam in Adamo supponit. Qui enim aliquid ardenter concupiscit, et pro eo obtinendo ad gravia sustinenda se exponit, cognoscit utique quodnam bonum illud sit. Si ergo Adam, scientiam; ut illa est Dei, ardenter concupivit, quid Deus, quidve illius scientia; utique cognoscebat, et quantum scientia illa propriam naturalem scientiam, quam habebat, superaret. Secundo utique cognoscebat Adam serpentis naturam; illi namque nomen imposuerat, sed decipi se permisit, hoc

ipso, quod serpentem locutum fuisse persensit. Sciebat enim ipse serpentem sua natura loqui non posse; At serpens locutus est, ergo conclusit Adam, id supernaturaliter factum, atque serpentem, solum esse caussam instrumentalem, qua superior aliqua caussa ad loquendum utebatur. Caeterum ad hoc argumentum reponere possemus cum Apostolo (I. ad Timot. 2.): *Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit*; Sicque a fundamentis totum evertitur.

§. 476. *Obijc.* 2. Si Adam habuisset Philosophiam, habuisset utique per infusionem; Atqui Philosophia nequit infundi; Ergo falsa propositio. Prob. min. Philosophia provenit a principio intrinseco; unde est actio vitalis; Sed actio vitalis nequit infundi; Ergo Philosophia nequit infundi.

§. 477. R. Dist. maj. Philosophia actualis est actio vitalis, c. maj., Philosophia habitualis est actio vitalis, n. maj.; conc. min.; et n. consm. Duplici modo aliquis dici potest Philosophus; et prout nempe actu philosophatur, et prout actu philosophari potest. Actus ille, quo quis philosophatur infundi non potest; hic enim exposcit principium intrinsecum, a quo profluere debet; atque hoc in casu actio vitalis infundi nequit. At vero nihil impedit, quominus dicamus, Deum posse potentiam quamdam homini tribuere, ut expeditior evadat ad recte philosophandum, in quo quidem actualis Philosophia consistit.

§. 478. *Contra.* Atqui nec etiam Philosophia habitualis potest infundi; Ergo n. r. Prob. subsm. Philosophia habitualis, repetitis actibus, comparari debet; est enim actionis vitalis effectus; sed nequit infundi effectus ille, qui repetitis actibus comparari debet; Ergo etc.

§. 479. R. Habitualis Philosophia etc., cum est acquisita, hoc est quando proprio marte adipiscitur, conc. maj., cum est infusa, n. maj.; et dist. min.; Sed etc., qui necessario, et essentialiter repetitis actibus comparari debet, conc., secus, n. min., et consm. Duplicem habitum Philosophicum distinguimus, acquisitum nempe, et infusum (§. 10.), atque dicimus, quemcumque habitum acquisitum exigere actus repeti-

tos, ut compararetur; illos autem repetitos actus non exigere habitum infusum, cum possit Deus, sola voluntate sua, flectere omne id quod nos nonnisi paulatim, et lente flectere possumus.

§. 480. *Contra*. Atqui Philosophia habitualis necessario actibus repetitis comparari debet; Ergo n. r. Prob. subsm. Habitus Philosophicus est habitus necessario, et essentialiter naturalis; est namque rerum naturalium habitus; Sed habitus necessario, et essentialiter naturalis, actibus repetitis, comparari debet; Ergo etc.

§. 481. R. Dist. maj. Habitus Philosophicus etc quoad entitatem, conc., quoad modum habendi, nego maj., et dist. min. Sed habitus etc., quoad entitatem tantum, repetitis actibus comparari debet, nego min.; habitus etc., nedum quoad entitatem, sed etiam quoad modum habendi comparari debet actibus repetitis, conc. min., et n. consm. Habitus philosophicus inspectus prout habitus est rerum naturalium, adeoque quoad entitatem inspectus, utique naturalis est, cum sit perfectio hominem perficiens, in ipsoque homine natura sua tendens, naturalis proinde perfectio. Hinc habitus philosophicus ita consideratus infundi utique potest, cum non desinat esse naturalis perfectio, etiamsi homini infundatur, qui in eo recipiendo mere passive se habet. Si vero iste habitus philosophicus, quoad modum habendi, unice consideretur, non exigit necessario et essentialiter haberi per actus repetitos, cum ita naturalis non sit quoad modum habendi, ut necessario repetitos actus requirat, quibus comparetur; Nam potest Deus ex se solo efficere, quod una cum caussis secundis efficit; potest proinde ex se solo, naturam nostram flectendo, habitum quemdam in nobis producere, quem nonnisi actibus repetitis comparare possemus, sicuti egit praesertim in Salomone, ei scientiam infundendo, ut omni justitia, sapientia, et rectitudine Istraelitico Populo praeesset (*a*).

(a) De Scientiae Adae infusa proprie agunt Theologi. Nos

EXERCITATIO IV.

De Actibus Scientiae, Fidei, et Opinionis.

§. *482. Animad.* In hac Exercitatione Scientiam Fidem, et Opinionem, prout supra definita sunt, rigoro unite se, atque stricte usurpamus.

§. *483. Coroll. 1.* Cum ergo de natura, atque essentia scientiae sit certitudo atque evidentia (§. 349.), modo de aliqua re habeatur scientia, procul sane erit obscuritas, atque incertitudo,

§. *484. Coroll. 2.* Cumque Fides sit assensus alicui propositioni datus propter dicentis auctoritatem (§. 319.). Fidei inest certitudo, at deest evidentia intrinseca, quae scientiae propria est (§. 349.); Unde licet certo concludamus, rem ita revera accidisse, sicuti ab auctoribus omni exceptione majoribus, narratur; eam tamen evidenter, non cognoscimus. Hinc de Fidei natura est obscuritas, et inevidentia; est namque Fides ex Apostolo (Hebraeor. XI.): *argumentum non apparentium*; quippe ea quae apparent, non habent fidem, sed agnitionem, fides proprie dicta *est credere quod non vides*, ait S. Augustinus.

§. *485. Coroll.* 3. Cumque insuper opinio semper includat formidinem de opposito (§. 325.), ab ea proinde certitudo, atque evidentia longissime absunt. Quando itaque aliquid opinione tantum tenemus, nec certi de illo sumus, neque illud evidenter cognoscimus.

§. *486. Schol.* Ne aequivocatio aliqua oriatur, quaestionis nodum exponitur. Quod itaque inter Philosophos

---

hic ne Philosophiae originem praeteriisse videremur, Philosophiam, quibus potuimus argumentis, Adae vindicavimus, quod et alii de Schola Philosophi praestarunt; inter quos legantur Ferrarius Tom. I. Log. Q. I. Frassen Tom. 1. Philos. pag. 14. Laurentius Duhan Q. 2. de exist.: Philos. P. Iosephus Carolus a S. Floriano Tom. I. Phil. Proleg. Art. III.

disputatur, et nos praesenti hac nostra Exercitatione explanare intendimus est: an actus Scientiae, Fidei, et Opinionis possint esse simul in eadem hominis mente, circa idem immutatum objectum, quoad camdem ipsius proprietatem, eodem sub respectu, et eodem modo acceptum; an scilicet possit homo unam, eamdemque rem, eodem sub respectu consideratam, eodem in actu, simul scire, credere, atque opinari; circa quod variae sunt.

Auctorum sententiae.

§. 487. Putarunt nonnulli, inter quos numerantur Alexander Alensis, Seraphicus Doctor, Duhamelius, Joannes Baptista de Benedictis, P. Franciscus Jacquier, Aliique, qui existimarunt, actus praedictos Scientiae, Fidei, et Opinionis simul in eadem mente, circa eamdem objecti proprietatem reperiri posse: Alii e contra id omnino fieri non posse sustinent. Horum sententiam tuentur Aristoteles, S. Thomas, Doctor subtilis, Complutenses, Combricenses, Genuensis; aliique ex Recensioribus, sicuti etiam nos.

§. 488. *Axioma. Quae invicem opponuntur nequeunt simul consistere in eadem mente, circa idem.*

THEOREMA I.

Actus Scientiae, et Fidei se invicem excludunt, et destruunt.

§. 489. *Demonstrat.* Scientia est cognitio certa, et evidens, fides est cognitio certa, sed inevidens; Atqui clarum et obscurum, evidens et inevidens se invicem excludunt; impossibile enim est ut lux, et tenebrae sint simul, et eodem in actu: ita ut res eadem, secundum eumdem respectum considerata, lucida sit, et tenebrosa, eodem tempore; Ergo etc. Q. E. D.

§. *490. Schol.* At dicet quis: Fidei quoque sua inest evidentia; Non igitur scientia, et fides se invicem excludunt. Bene habet. Verum Fidei evidentia non est intrinseca, qualis in scientia, proprie dicta, reperitur (§. 349.), sed solum extrinseca (§. 325.); quam propterea plurimi Philosophi veram evidentiam esse negant, sicuti etiam veritates historicas a numero veritatum vere philosophicarum excludunt.

THEOREMA II.

Actus Scientiae, et Opinionis invicem opponuntur.

§. *491. Demonst.* Nam scientia habet secum semper certitudinem, et evidentiam, opinio incertitudinem, et inevidentiam (§. 485.). Scientia omnem tollit formidinem de opposito, opinio semper habet secum formidinem de opposito, ita ut si abscedat formido, opinio esse desinit; Ergo scientia etc. Q. E. D.

THEOREMA III.

Actus Fidei, et opinionis sibi invicem adversantur.

§. *292. Demonstrat.* Nam fides privatur quidem evidentia intrinseca, unde cum scientia non congruit; at certitudine gaudet, et ita quidem, ut si fides sit Divina, ejus certitudo certitudini metaphysicae comparetur (§. 423.); sed opinio caret certitudine, et formidini de opposito strictissime sociatur; Ergo etc. Q.E.D.

PROPOSITIO

Actus Scientiae, Fidei, et Opinionis nequeunt esse simul in eadem mente, circa idem objectum, eodem in tempore, secundum eamdem proprietatem inspectum.

§. *493*. *Demonst*. Illi actus nequeunt esse simul in eadem mente etc., qui invicem opponuntur. Atqui actus Scientiae, et Fidei (§. 489.); Scientiae, et Opinionis (§. 491.); Fidei, et Opinionis inter se opponuntur; Ergo nequeunt etc. Deinde si de eadem re, etc., Scientia simul haberetur, et Opinio, res eadem esset eodem in actu certa, et incerta, evidens et obscura; certa et evidens, ut supponitur, quia de ea habetur scientia; incerta et obscura, quia haberetur de ea opinio; Sed impossibile est idem simul esse, et non esse (§. 354.); Ergo etc.

§. *494*. *Schol*. Diximus in Propositione: Actus scientiae etc.: *circa idem objectum*, nam nulli dubium, quin diversa objecta possint diverse videri; nempe alia clare, et evidenter cognosci, alia obscure, et incerte; alia per auctoritatem. Addidimus: *eodem in tempore*; nam diversis temporibus, idem obiectum, licet immutatum, potest diversimode agnosci; aliquando poterat penitus ignorari, postea obscure cognosci, accedentibus novis observationibus, poterit evidenter sciri. Subjunximus tandem: *secundum eamdem proprietatem inspectum*. Nam objectum relate ad diversas proprietates, quibus inspici potest, diverse quoque potest apprehendi; hinc relate ad proprietates subjecti, potest de eo quis scientiam habere quoad unam, fidem quoad aliam, opinionem quoad aliam.

Argumenta opposita solvuntur.

§. *495. Obijc. 1.* Scientia et Fides simul stare possent in eadem mente etc., si de eadem re haberi possit scientia simul et fides; Atqui de facto ita est; Ergo falsa propositio. Prob. min. De Dei existentia haberi potest scientia et fides, scientia scilicet per demonstrationem, fides autem per auctoritatem Divinam; Ergo etc.

§. 496. R. dist. ans. De Dei etc., et tam fides, quam demonstratio proprium producunt effectum, nego ans; secus, conc. ans; Ergo etc., nego consm. Cum evidentia, et obscuritas, lux et tenebrae invicem opponantur (§. 479.), omnino necesse est, ut cum evidentia affulgeat, procul fugentur obscuritates, ac tenebrae. Potest itaque res auctoritate teneri, hinc tanquam certa, obscura tamen haberi; at si illius veritas per demonstrationem recte institutam certo, et evidenter constiterit, obscuritate ablata, fidei locus non erit (§. 484.), nec ullum effectum amplius producet. Igitur quoties demonstratione non constat Dei existentia, corde creditur, et mente tenetur; cum vero per demonstrationem certo et evidenter constat, tunc scientia sola suum consequetur effectum, non fides; quare non dicimus Dei existentiam credere, sed scire.

§. *397. Contra.* Atqui de Dei existentia scientiam simul et fidem habere possumus; Ergo n. r. Apostolus ad Hebraeos scribens, ait (Cap. XI. v. 6.): *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*; Atqui potest justus aliquis, Dei existentiam, scientia tenere; Igitur Dei existentiam scientia simul et fide tenebit; adeoque etc.

§. 498. R. dist. maj. Accedentem etc., ut auctor gratiae, conc. maj.; ut auctor Naturae, subdist., si Dei existentiam per demonstrationem certo, et evidenter non cognoscat, conc., secus nego maj., conc. min., et nego utramque consm. Duplici sub respectu Deum considerari posse, nemo ignorat, et ut nempe auctor est naturae, et ut auctor est gratiae. Jam vero ut auctor est gratiae, illarum nempe internarum mo-

tionum, quibus opera nostra bona evadunt, et aeternae vitae meritoria, nulli dubium, quin ejus existentia objectum sit fidei; fide nempe complecti debeat, cum ratione naturali ad illum ita cognoscendum pertingere nequeamus. At vero ut auctor est Naturae, statim ac lumine naturali certo, atque evidenter cognoscimus eum existere, non est amplius necesse, ut id fide proprie dicta credamus, cum impossibile sit credere, quod evidenter percipitur. Quod si ad justificationem, etiam fides requiri videatur in eo, qui Dei existentiam jam novit per demonstrationem, tunc sufficit si fide late sumta eam credat; sit nempe paratus ad eam credendam, si certo, et evidenter eam non cognosceret, quomodo Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, caeterosque, quos credimus Articulos, credentes Apostoli, et BB. Virgo, justificati sunt.

§. *499. Contra.* Atqui etiamsi ratione naturali Deum existere cognoscamus, adhuc etiam, uti auctor est naturae, credere tenemur, et quidem fide stricta; Ergo n. r. Prob. subsm. Fides de existentia Dei, tamquam auctoris naturae, debet esse meritoria; Sed fides late sumta non est meritoria; Ergo etc. Prob. min. *Fides nullum habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum*, ait S. Gregorius Papa (Hom. 26.); Atqui fidei latae sumtae humana ratio praebet experimentum; Ergo etc.

§. 500. R. dist. maj. Fides etc., si creditur per id praecise, quod humana ratio praebet experimentum, conc. maj., si nihilominus crederetur, etiamsi nullum experimentum humana ratio praeberet, nego maj.; et dist. min.; Atqui fidei late sumptae etc., et existentia Dei per id absolute creditur, quod eam humana ratio confirmat, nego min.; et ea nihilominus crederetur, licet nulla humana ratio adesset, conc. min., et nego consm. Non omnis humana ratio meritum eliminat a fide, sed ea tantum, propter quam dumtaxat quis credit, ita ut minime crederet, neque esset ad credendum paratus, si humana illa ratio non adesset. Cum enim hoc in casu fidei fundamentum non esset Divina auctoritas, sed praecise humana ratio, procul dubio fides

nullum meritum haberet. At vero cum quis, licet actu aliquid non credat, neque credere possit fide stricte sumta, quia illud jam clare, et evidenter per rationem cognoscit, est ita animo paratus, ut illud firmiter crederet, etiamsi ratione non comprehenderet; tunc fides ista, licet late sumta, suum habet meritum, quia non praecise creditur, quia humana ratio praebet experimentum (per hoc enim habetur cognitio experimentalis, atque hinc scientia, non fides), sed propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem; uti est in casu nostro.

§. *501. Objic.* 2. Si scientia, et opinio simul in eadem mente stare non possunt, id esset quia scientia, et opinio tam quoad essentias, quam quoad proprietates invicem opponuntur; Atqui scientia, et opinio neutro hoc modo opponuntur; Ergo falsa propositio. Prob. min. Scientia et opinio, quoad essentiam inspectae, utraque praesefert judicium mentis affirmativum; inspectae autem, quoad proprietates, utraque vera est; Sed inter affirmationem et affirmationem, inter veritatem et veritatem nulla datur oppositio; Ergo etc.

§. 502. R. dist. maj. Utraque etc., dumtaxat, nego maj. Utraque etc., et aliunde affirmatio scientiae conjungitur cum certitudine, et evidentia, affirmatio vero opinionis cum incertitudine copulatur, et inevidentia, conc. maj., et contradist. min., nego consm. Esse judicii affirmativi est genus respectu scientiae, et opinionis; unde et in affirmatione sibi invicem non adversantur, sicuti in veritate; sed opponuntur dumtaxat in suis differentiis essentialibus, nimirum in incertitudine, et evidentia, quibus donatur opinio. Haec porro oppositio et contraria est, et contradictoria; dicuntur scientia, et fides inter se opponi contrarie, ratione sui tantum, quatenus una est cognitio certa incerta vero altera; contradictorie vero ratione effectuum, quos in intellectu gignerent, in quantum nempe idem intellectus haberet certam alicujus objecti cognitionem; per cognitionem scientiae, non certam autem per cognitionem opinativam. Nihil itaque concludit argumen-

tum, cum oppositio non consistat in affirmatione, et negatione, neque in veritate, et falsitate scientiae, et opinionis.

§. *503. Contra.* Atqui neque ratione sui scientia, et opinio opponuntur; neque ratione actuum; Ergo etc. Prob. subsm. Ea dicuntur opponi, quae magis pugnant inter se, quam cum aliis; atqui magis pugnant inter se scientia, et error, quam scientia, et opinio; Ergo etc.

§. *504.* R. Dist. min. Atqui magis etc., quoad veritatem, et falsitatem, quam etc., conc. min., secus, nego min. et consm. Duo in scientia, et duo in opinione sunt distinguenda; in illa veritas, et certitudo, in ista veritas, et incertitudo. Primo cum opinio in se sit vera, hinc quoad veritatem, et falsitatem non pugnant inter se scientia, et opinio; bene vero scientia, et error; at certum est, et esse debet, scientiam, et opinionem magis pugnare invicem inter se, in quantum ad certitudinem, et incertitudinem; unde tota oppositio in eo sita est, quod intellectus, ratione scientificae cognitionis, dubitare nequeat de objecto sibi proposito; ratione vero opinativae cognitionis nequeat non haesitare; quae quidem admodum sufficientia sunt, ut oppositio habeatur inter scientiam, et opinionem.

§. *505. Contra.* Atqui recensita oppositio satis non est, ut actus scientiae, et opinionis simul coexistere nequeant; Ergo n. r. Prob. subsm. Cum duae caussae simul sint compossibiles in eodem, penes idem, compossibiles quoque erunt earum effectus; Atqui scientiae, et opinionis caussae sunt compossibiles; Ergo recensita etc.

§. 506. R. dist. maj. Cum duae caussae etc., tum in essendo, cum in operando, compossibiles quoque etc. conc. maj.; cum duae caussae, etc., tantum in essendo, compossibiles quoque etc., nego maj., et dist. min. Atqui etc., in essendo, transeat min.; in essendo, et caussando, nego min; Ergo etc. compossibiles, nego consm. Duae caussae dupliciter, simul compossibiles esse possunt; et in essendo scilicet, et in caussando. Compati possunt

in essendo, cum simul sunt quidem in eodem, sed nullum producunt effectum; in caussando vero, cum nedum sint simul, sed etiam suum producunt effectum. Porro utrum caussae scientiae, Fidei, et opinionis possint simul coexistere, non adhuc certum est. Verum gratificandi animo, earum simul coexistentiam admittamus, attamen inficiabimus, earum actus compossibiles esse. Etenim *cum scientia et opinio*, ut inquit Doctor subtilis (in III. dist. 24. Q. un.) *sint simpliciter incompossibiles in eodem intellectu, de eodem objecto, si aliquis habeat primo opinionem de aliquo, et superveniat demonstratio, corrumpitur opinio*; si enim ambae caussae sint in eodem, scilicet medium dialecticum et demonstrativum, dialecticum, nihil faciet, impeditum a medio demonstrativo; ita quod numquam effectus erunt simul, nec caussae simul caussabunt. Quamvis igitur aliquo modo detur, posse scientiae, et opinionis caussas simul coexistere in eodem intellectu, circa idem, falsum tamen est, earum effectus, nempe actus scientiae, fidei, et opinionis etiam simul esse posse.

Object. extra scholae formam.

§. 507. I. Jesus Christus post Resurrectionem suam praebens se videndum, et palpandum S. Thomae, dixit ei (Joann. XX. [illegible]): *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Ergo scientia, et fides possunt esse simul. Deinde

II. Scientia, et fides sunt actus ambo veri; ergo non opponuntur inter se. Rursus.

III. Eadem Conclusio probari potest ratione, et auctoritate; sed ratio parit scientiam, auctoritas fidem; Ergo scientia, et fides etc. Tandem.

IV. Si scientia, et fides non possent esse simul, Christi fidelis, qui ad demonstrandam Dei existentiam ab Atheis occideretur, Martyr non foret, quod est falsum; Ergo etc.

§. 508. R. Ad singula. Et ad I. S. Thomas non idem vidit, et credidit, *sed aliud vidit, aliud credidit*,

ait S. Gregorius Papa (Hom. 26. in Evang.) · *A mortali quippe homine Divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidit, et Deum confessus est, dicens : Dominus meus, et Deus meus.* Laudatum itaque testimonium, nostram non impetit propositionem.

Ad II. Licet actus scientiae, et fidei quoad veritatem, non opponantur, quoad evidentiam tamen, et inevidentiam opponuntur (§. 409.). Unde non possunt, etc.

Ad III. Quando conclusio aliqua per rationem demonstrata est certa, et evidens, gaudet nempe certitudine metaphysica, tunc alia probatione ab auctoritate desumta non indiget; quod si haec aliquando adhibeatur, id vel est, quia ratione non satis evidenter fuit demonstrata, ut assensum extorqueat, vel ad ostendendendum, illud in propositione assertum, non esse novum, aut pro libitu confictum.

Ad IV. Tandem Falsum omnino est illum, qui ad demonstrandam Dei existentiam, ab Atheis occideretur, martyrem non esse. Licet enim de Dei existentia Fidem stricte sumtam non habeat, quia de ea scientiam habet, Fide tamen late sumta non caret, quae sane ad justificationem sufficit (§. 498.) (*a*).

Et haec ad exercitium studiosae juventutis exposuisse sufficiat. Plura persequi non vacat. Satius est namque pauca tradidisse, quae memoria teneantur, et habeantur ad manus, quam multa, quae memoriam obruant, et penitus oblivioni amandentur. Quare Horatius (De Arte Poet.) :

Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

LOGICAE FINIS.

(a) Quae in hac Exercitatione pertractata sunt, nulla alia videntur dilucidatione egere, At si qui erunt, qui alia cuperent, adire poterunt, praeter caeteros P. Fortunatum a Brixia Log. Exercit. VI. P. Iosephum Antonium Ferrari Log. P. II. Q. VIII. P. Carolum Iosephum a S. Floriano Log. Lib. III. Art. 3. Laurentium Duhan Log. Q. 17. Ioann. Potestium Log. P. II. Cap. IV.

INDEX
LOGICÆ

In Philosophiae Institutiones

PROLEGOMENA.

LOGICÆ THEORETICÆ

PARS I.

LOGICÆ THEORETICÆ.

PARS II.

De Judiciis, et Propositionibus.

LOGICÆ THEORETICÆ

PARS III.

De Ratiocinio, atque argumentatione.

LOGICÆ THEORETICÆ.

PARS IV.

De Methodo.

LOGICÆ PARS II.

PRACTICA.

EXERCITATIO I.

PXERCITATIO II.

EXERCITATIO III.

EXERCITATIO IV.

FINIS.

REVERENDISSIMI PATRIS

F. JOANNIS A CAPISTRANO

ORDINIS MINORUM STRICTORIS OBSERVANTIÆ S. P. N. FRANCISCI LECTORIS EMERITI, JAM OLIM IN ROMANA PROVINCIA MINISTRI PROVINCIALIS, EX-PROCURATORIS GENERALIS REFORMATORUM, IN ACADEMIA THEOLOGICA AD ARCHIGYMNASIUM ROMANUM CENSORIS EMERITI, IN REGALI MATRITENSI CONGRESSU PRO IMMACULATA VIRGINIS CONCEPTIONE THEOLOGI, IN SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE CONSULTORIS, CORAM SANCTISSIMO EPISCOPORUM EXAMINATORIS, TOTIUS ORDINIS MINORUM

MINISTRI GENERALIS

Commissarii, Visitatoris, et Reformatoris Apostolici

AD AUCTOREM

EPISTOLA.



ADMODUM R. PATRI

F. JOSEPHO-ARCHANGELO

A FRACTA MAJORI

Observantis Nostrae Neapolitanae Provinciae Lectori Jubilato, olim Ministro, nunc vero Definitori. Generali, salutem.

Nil mihi jucundius quam nosse, in eo te fuisse labore versatum, quo adolescentibus nostris Philosophi-

cas institutiones ad Sacram Facultatem, quae vere Sacerdotalis scientia est, brevis, facilis, ac tuta via sterneretur. Gratulor tibi quammaxime: utque non sine salutaris obedientiae merito susceptum perficias opus, valeantque tirones nostri universi, Elementa hujusmodi nocturna, diurnaque manu versando, optatos ex iis suscipere fructus, auctor tibi sum, ut, Ordinis nostri Legibus, caeterisque servatis de jure servandis, Opus ipsum publici juris reddere velis. Vale, Deumque pro me exorare memento.

Datum Romae ex Ara-Caeli die 4. Januarii 1827.

Fr Joannes a Capistrano
Minister Generalis

A S. E. R.ma

Monsignor Colangelo Presidente della Giunta della Publica Istruzione.

Eccellenza

Lo stampatore Giovanni Rusconi desiderando di ristampare l'Opera intitolata = *Philosophiae institutiones a F. Josepho Archangelo a Fracta Majori Ordinis Minorum Observantium ex probatis Auctoribus Selectae atque in Religiosae praesertim juventutis commodum editae, Logicam, continens* = prega l'E. V. R. pel dovuto permesso, e l'avrà, ut Deus etc.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

A dì 23. Novembre 1829.

Il Regio Revisore Padre Maestro Santagata avrà la compiacenza di rivedere l'Opera sottoscritta, e di osservare se vi sia cosa contra la Religione, ed i dritti della Sovranità.

Il Deputato per la Revisione de' Libri,
CANONICO FRANCESCO ROSSI.

ECCELL.mo E REVEREND.mo SIGNORE.

Con la dovuta attenzione, e diligenza ho letto i tre Volumetti della Logica e Metafisica composti dal Molto Reverendo Padre Giuseppe Arcangelo Minore Osservante, e non vi ho rilevato cos' alcuna che offenda le verità Cattoliche della nostra fede, neppure i dritti della Sovranità. L' Opera è meritevole di ogni elogio per la chiarezza del dire, dell' Ordine tenuto nelle dimostrazioni, che possono sommamente giovare alla gioventù, al di cui vantaggio principalmente, è diretta. Sono dunque di parere che possa permettersi la pubblicazione, purchè l' E. S. Reverendissima vi aggiunga l' approvazione.

Napoli 23 Novembre 1829.

Il Regio Revisore

F. ANTONIO SANTAGATA MIN. CONVENTUALE.